PIERII VALERIANI AMORUM LIBRI .V.

APPENDIX EX PRÆLUDIIS CASTIGATIOR.

Amicitia Romana.

Carpionis Fabula.

Protesilaus Laodamiæ Respon.

Leucippi Fabula.

Lib. Unus





IN VINETIA APPRESSO GABRIEL GIOLITO DI FERRARII
MDXLIX.

ASDRVBALI MEDICEO ADOLESCENTI ORNATISSIMO GABRIEL GIOLITVS. S. P. D.

PERVENERVNT *nuper in manus meas* Amorum Libri Quinq; Elegiaco *numero conscripti; quos* Pierius Valerianus *olim lusu* Iuuentutis *composuerat, eosdemq; dedicauerat* Clarissimo Patri tuo Hippolyto; *qui tunc* Florentinæ Princeps Iuuentutis *erat, mox* Cardinalis *tantæ celebritatis fuit*. Neq; *uisus est* Pierius *ab eo tempore* Opusculum *huiusmodi ulterius curare; utpote qui grauiora aggressus, & Sacerdotio* Initiatus *& iam ætate prouectus indignum existimaret* Iuuenilia *hæc in manus hominum emittere.* Vtcunq; *uero ille de rebus suis senserit,* Ego *cum* Eruditissimis *plerisq; uiris placere opus animaduertissem,* Accepissemq; *te* Præstantis Ingenij Iuuenem, *tam* Magni *orbatum præsidio* Patris, *uelle tamen, qua parte datur, tibi consulere; perq; disciplinas, artesq; bonas ad eius* Ingenium *aspirare,* Idcircoq; Patauium *te te contulisse, ubi proficeres,* Cogitaui *me* Rem *tibi non ingratam facturum, pro cultu, quo ipsum illum* Patrem *tuum omni laude maiorem semper unice obseruaueram, si quæ ad eius laudem pertinent tam diu suppressa, situq; obsita in lucem protulissem, &* Ingenijs *omnibus communicassem.* Accipies *igitur, quod unum* Giolitus *præstare potest, meæ istius* Impressionis *laborem,* Verum *a* Pierio *uitæ exemplum; quod in* Clarissimo Patre *tuo & hic, & alibi describit;* Idq; *ante oculos assidue tibi propones.*

vale.



AD MAGNIFICVM ET ILL. HIPPOLYTVM MEDICEN FLORENTINAE PRINCIPEM IVVENTVTIS.

PIERIVS VALERIANVS.





OLLEGI, *uti iusseras Studiosissime Hippolyte amatorios Elegos; quos in adolescentia mea luseram, & eiusmodi generis alia; quæ tunc meditari solitus eram, cum uel a grauioribus studijs, uel ab occupationibus, quibus, ut scis, fui semper implicatissimus, uel quietem, uel hilaritatem aliquam aucupabar. Non eo tamen consilio a me unquam conscripta, ut in cuiusquam alterius manus deuenirent, nisi tam ardenter, ut hæc colligerentur, efflagitasses.*

Cur enim ego te, cui uel animam ipsam debeo, his lucubrationum mearum qualibuscunque lusibus fraudarem, quos ætati tuæ præcipue congruere animaduertebam; & ad quos longe felicius tuopte ingenio meditandos, multorum, qui nunc hoc ipso in studio exercentur, æmulatione te propensum adeo perspiciebam. Quãuis autem Vetera tibi semper ad imitandum proponenda suaserim, tu tamen esse etiam aliquid in recentioribus obseruasti, quæ tametsi auctoritatem nondum acquisiuere, certe uiam, qua sit ad optimos quosque progrediendum soleant aperire, idque fieri, ueluti de itinerum difficultatibus aliquid audituri, qui nouissime uenerint percõtari libentius solemus. Quod siquid nostrum tale sit, ut alicui tibi usui fuerit, non operam penitus, atque oleum perdidisse uidebimur. Sed ne tantum mihi assumam, ita nostra abs te legen

da cẽſeo ut antiquorũ ſemper, id eſt excel lentium ueſtigiis inhæreſcas. Neq; uero ſum neſcius ſtudium in tam leui re meum ſeuerioribus quibuſdam non ſatis probatum iri, quod neq; ætas iam uirilior, neq; meum forte officium ſibi depoſcere uideantur, ut ludicra hæc iampridem abiecta repetamus, & tanq; cuiusq; lectione digna ſint, deſcribi, & in manus hominum exire patiamur. Verum, ſi tibi uni hac in re paruerim, ſatis mihi patrocinij ad defenſionem comparatum intelligo; tali. n. es ingenio, et eruditione, ut uel in hac ætatula ante annos emunctæ naris iudicio cõmenderis. Quod uero ad argumentum pertinet, eam in amoribus noſtris modeſtiam, eumq; pudorem ſecuti ſumus, ut lõge a multorum procacitate, & impudentia receſſerimus dariq; locum, ut de amore, pudice, & caſte ſcribi poſſit, oſtenderimus; Quippe qui inductam in ſcena hu

iusmodi ante hac paucissimis admodum Poetis. Pudoris ipsius personam in his exhibuerimus. Hinc nulla mihi reliqua sit dubitatio, ut unde quis improbitatis notã ex titulo ipso inurere paratus erat Verecundiæ mox ex lectione laudẽ mihi sit attributurus. Descripsi uero hæc nullo temporis, quo excogitata fuerant, seruato ordine, neq; enim historia hæc erat, sed ut quæq; in manus uenerant, ita in libellos congerebantur. Inuenies, non inficior, a priore illa lectione uariata quædam, & alias atq; alias inscriptiones; & de personis, quibus aliqua nuncupata fuerant, mutatum aliquãdo consilium. Id factum, quia non digna quædam iudicaui, quæ ad grauiores, ne asperiores dicam, homines mitterentur, uel ne delicatiorem quorundam stomachum offenderem, qui suarum tantum rerum admiratores aliena omnia fastidire, sibi reponunt honoris

loco. Eos autem amicos delegi, mearum huiusmodi cogitationum participes, de quorum iudicio, fide, sinceritate, candore, beneuolentissimoq; erga me animo nihil unq̃ dubitandum fuit. Reliquum est, ut qui collectionis huius auctor fuisti, aliorum lõge grauiorum, & altioris indaginis studiorum fautor esse, qua cepisti liberalitate, perseueres. Spero enim breui, tuæ benignitatis auxilio fretus talia me per id, quod mihi largiris otiũ, pariturum, ut neq; te, quod fouendum me susceperis, pœniteat, neq; ego tantæ beneficentiæ uidear indignissimus. Tu enim me per omnes præclare a te decursæ pueritiæ annos in clientelam susceptum penes te, non uti clientem, sed uti Parentem amplexus nullius unq̃ rei æque studiosus quam mearum cõmoditatum extitisti. Tu præstanti præditus ingenio in causa identidem fuisti, ut cogitationes ipse meas al-

tius erigerem & in studiorum meorum cursu maxima quæq; conciperem, dum te pariter maximis quibusq; affici animaduerto. Ita tu honestarum, & excellentiũ rerum omnium doctrina delectari mihi compertus es. & quãuis publica te negotia tã teneræ ætatis adolescẽtulum plurimum auocent. Vix enim. XVI. natus annos Munerum omniũ, & quidem maximorum particeps in Rep. Florentina factus es, mirifico omnium consensu de Clemẽtis Pont. Max. Patrui tui gremio ad eiusmodi curas accersitus; constituisti tamen suas litterarum studijs horas, quibus & legẽdo, et audiẽdo, plurimaq; ex inuentione tua cõscribendo ingeniũ exerceas, excolas, poliasq; Proindeq; litteratos ea præcipue de causa amas, quod tu litteris usq; adeo delectaris. Nõ temere itaq; spes illa præclara nostro sæculo cepit adfulgere, ut laudatissima maiorũ

tuorũ in litteras, bonasq; Artis benefi-
centia per te lætiſsime reuiuiſcat. Perge
igitur quo uirtus tua te uocat, & qui flo
rum tempore fructus prope maturos
oſtendere cepiſti, ut propria ſint hæc et
diuturno tempore permanſura, omni age
ſtudio, cura, diligentia, meditatione, cona
tuq;, quod facis, adnitere; Cæteraq; re-
rum tuarum ſplendorem, gratiam, diui-
tias, auctoritatẽ, Maiorum imagines, et
exempla, Maximorum Pontificum duo
rum gloriam, & ſublimitatem, ita tua eſ
ſe ducas ut etiã ſi illa deſint, parẽ te gra
dum cum præſtantiſsimo quoq; eorum ali
quando collaturum eſſe tibi perſuadeas.

Vale ex Caiano tuo Non. ſeptemb.

M. D. XXIIII.

GABRIEL GIOLITVS PROBIS LECTORIBVS.

Etsi forsan curiosum nimis cuipiam uideatur libelli huius argumenta digeßisse, id tamen ideo a me factum; quia unaquæq; Elegia sibi peculiaris est, neq; alia cum alijs quid commune habet. Volui itaq; lectoris molestiam alleuare; ut iuuento, per indicem hunc, argumento, quod cuiq placeat, poßit id nulla contatione deprehendere. Id quidquid est, si probus es, boni consule.

LIBRO PRIMO.

LIBRO SECVNDO.

LIBRO TERTIO.

LIBRO QVARTO.

LIBRO QVINTO.

IO. FRAN. FRANCINVS

Legerat hunc Amor, atq; etiam Venus ipsa, libellum
Cum puero Mater rettulit alma suo.
Nemo unquam melius nostros descripsit honores
Te dictasse, reor, tot bona Pierio,
Cui puer, an ludis? nisi tu Venus Vna, quis illum
Hæc docuit? Cum sint omnia cum Venere.

Lector rogat te Giolitus, ut priusquam lectionem opusculi istius aggrediare, quæ fefellerunt Mancipes, hic subnotata animaduertas. ch. 10. in quouis tantæ. l. in quo Vis tantæ. ch. 13. coux dulcis. l. coniux dulcis. ch. 16. ante aquam. l. antea quàm. 25. Lorida tu. l. Florida. 25. deuictus amore. l. deuinctus. 26. stant Veteres monumenta. l. Veteris. 28. Adfluerit. 2. adfuerit 30. suas abcisa comas. l. abscisa. 32. fidemq; præmi. l. premi. 33. cætera dispicere. l. despicere. 38. b. iræ traberet Eumenidum. l. traderet. 41. Et Iuuenem ipsa. l. illa. 46. b. quamuis durius ære. l. quo uis durius 47. extorquere ne unum. l. nec unum. 50. Dij superasse uolunt. l. superesse. 50. b. terga serit. l. ferit. 51. Deinc. l. Dehinc 55. Est quæ amor. l. Estq; Amor. 57. Hic mala consperso. l. Mola. 59. Me cadele aspesti. l. cadere. 60. su urrus. l. susurrus. 62. ad sanum siue salntis. l. Fanum. 64. Qan Vesuli. l. Quam. 65. b. qui nequam. l nequeam. 65. b. Quidam iniquis l. inquis. 65. b. siue dolore uelis. l. dolere. 67. b. illaq; tamẽ celeri. l. tam celeri. ibidem mertaliũ. l. mortalibus. 68 b. Bis separata pede. l. superata. 68. b. Quis mea Pagaseo. l. Pegaseo 72. manens atq; concussa. l. inconcussa. Robertellum. l. Robortellũ. 77. & 78. Robortelle. 88. Albertus fera pia uota pius. l. fert. pia uota Pius. 88. Quæ non Eutyche fata. l. Quæ nunc Eutiche. 91. b. causas uicesq;. l. causasq; uicesq;. 93. b

Reliqua adeo sunt oculis omniũ obuia, ut non eruditi solũ, sed etiã mediocriter docti per se corrigere facile poßint.

In *paginarum numeris corrigenda.*

F. *iiii.* 44. F. v. 45. F. *vi.* 46. F. *vii.* 47 F. *viii.* 48. Item. I. *primo.* 65. I. *iii* . 67. I. v. 69. I. *vi.* 70. I. *vii.* 71. I. *viii.* 72.

PIERII VALERIANI BOLZANII BELLVNEN. AMORVM. LIBER PRIMVS.

AD ILLVSTRISS. ISABELLAM MANT. PRINC.

QVO CONSILIO VENERIT AD SCRIBENDVM.



VI STVDIVM *instructas Equitum ductare cohortes.*
Vnde hastam, aut Phaleras præmia cara ferat;
Dum puer; Armorum Tiro genus omne secutus
Magnanimæ quoduis indolis audet opus.
Nunc leuia emittit lunato spicula cornu;
Nunc ualidam amento torquet in astra sudem.
Mox Lacedæmonia durauit membra palestra,
Mox stadium cursu uicit olympiacum.
Iamq; agit in saltum, aut uarios compescit in orbes,
Iam celerem Eleo carcere laxat equum.
Denique ut expertus, longoq; exercitus usu est;
Ad lituum, adq; tubam, & clasica lætus adest.
Aeacidæ clypeum, & Pagaseam flagitat hastam;
Horridaq; audaci prælia corde subit.

Verum ego, cui gelidus circum præcordia sanguis
 Obstitit, imbelles cogor habere manus.
Hoc tamen obscurum penitus ne difluat æuum,
 Nitimur ingenij uiribus ire pares.
Atq; ita dum sector iuuenali ardore Camœnas
 Castalij aggredior pectinis omne genus.
Nunc Lyrico mollis, rapido nunc acer Iambo,
 Nunc leuiore Chely, nunc grauiore Tuba.
Vt mox, firma Viro mihi cum succreuerit ætas,
 In numeros uena liberiore fluam.
Interea hos Elegos tenero ludemus amori;
 Dexter ades ceptis blande Cupido meis.
Tu tamen haud quaquam uenias lasciuus, ut est mos,
 Nanq; Isabella alijs est adeunda modis.
Quam pater Alcides Mantoo adiungere Marti,
 Consortemq; sacri iusserit esse tori.
Magna pudicitiæ uenerandæ exempla daturam;
 Qualem animum, & mores te quoq; habere decet.
Adde quod illa etiam est aliquorum Mater Amorum;
 Quorum unus blandi Principis ora gerit;
Et decora illa tamen tenero sub pectore belli
 Condit, & arma quatit, uel meditatur equos.
Sic animum egregium primis Fridericus ab annis
 Spirat, & ingenua est integritate probus.
Alter ad ingenij laudes animosior, ardet
 Palladaq;, & Musas, eloquiumq; sequi.
Nempe ut Apollineas iterum tibi Mantua lauros
 Inserat, atque coma quas gerat ipse sua.

Vt multum auspicijs Friderici Principis aucta,
Multum etiam uigeas Herculis ingenio.
At qui nunc primum firmat uestigia planta
Fernandus curæ Mars generose tibi est.
Clamoresq; uirum, & duri certamina belli
Quæritat, & sonitu clasica pulsa truci.
Hos tu autem es Pueros iam nunc tantæ indolis omnes,
Et Matrem tali mente aditurus Amor.
Arabio patiar uarient te uellera cultu,
Et tua Oronteo spiret odore coma.
Cætera castus ades, mentemq;, habitumq;; Mineruam,
Aonidumq; choros qualis adire soles.
Has etenim summo semper ueneratus honore,
Et trepidare ipsas diceris ante Deas.
Non ausus uultus unquam uiolare pudicos,
Sed comes ad Citharæ peruigilare sonum,
Atq; tuam modulis uocem immiscere canoris;
Te iubet usq; adeo Pallas habere modum.
Illa olim ante Patrem ludo excita inhorruit armis,
Asperat terribili prælia uoce minans.
Vidistin' trepidare Deos, Cœlum omne tumultu
Misceri, & terræ uiscera tota quati?
Non memor es, tentasti olim cum lædere Diuam,
Quæ fuerit pugnæ palmaq; honosq; tuæ?
Terrificos in te uultus cum uertit, & acri
In te animo telum mouit, ut horrueris,
Vt tibi confestim trepido iaculum, arcus, & ignis
Omniaq; arma manu protinus exciderint.

Vt ueritus, ne te illa ferox discerperet, aut te
Præcipitem e cœlo tartara in Ima daret.
Atqui nec Martem gradientem ad bella uereris,
Nec Iaculantem horres tela tremenda Iouem,
Id tamen anguicoma munitum Gorgone pectus
Formidas, & quæ lumina honesta uides.
Terreat haud aliter Sapiens Isabella, pudicus
Ni uenias, ni sis, ut iubet illa probus.
Illam etenim intento quotiens spectabis ocello,
Musam aliam, aut castæ Palladis ora putes.

Oscula præstantiora esse quauis
Venerea Voluptate.

SICCINE Basiolis mea lux, mea uita pudicis
Inuida es, & castas reijcis illecebras?
Nam castis in blanditijs mea summa uoluptas,
Nequitia est cuius nullum habitura modum,
Purus amor meus est, meus est amor ardor honesti;
Purus amor nunquam turpia facta cupit.
Ne mea forte putes tacito præcordia uoto
Poscere quæ soleant Basia blanda sequi.
Qui petitur turpi a furto, nisi fœda uoluptas,
Languor & effœtus in genua, inq; pedes.
Tedia, & infecti uotum, pallorq;, tremorq;
Debilitasq; oculi, debilitasq; animi.
Hinc Cani ante diem, ante diem properata Senectus,
Hinc timor indicij, demum utriusq; pudor.

Pascimur aspectu, mulcemur uoce, fouemur
Amplexu, ac alacres Basiolo efficimur.
Sordet, ut improbius quidquam est; hæc quattuor olim
Nulla palam fieri lex ueneranda uetat.
Obstat fas illi, & morum censura, pudorq;
Ingenuus; latebras hinc mala furta uolunt.
Ridetur quicunque suos male sanus Amores
Detegit, & uulgo facta nefanda canit.
Quin etiam Vxorem siquis petulantius æquo
Appetat, Vxoris fit Procus ille suæ.
Ipsa Venus tacito latitat pudibunda sub antro;
Cui sacra sepositum sub penetrale ferunt.
Quodq; loca aßiduis hominum celebrata cateruis
Declinet, graia est uoce Mychæa Venus.
Diogenes nullo ciuilis more facessat;
More canis uixit, de Cane nomen habet.
More canis populo solitus spectante, pudore
Nullo, hominem in templis conserere, inq; uia.
Fœda etiam ualeant conuiuia Tyrrhenorum;
Quis uelata Venus paßim erat opprobrio
Talis ad Euphratem turpi gens perdita luxu,
Nempe Semiramiam qui Babylona colunt.
At scelera, atque nefas, totq; improba facta Tarenti
In flamam, in cineres Iuppiter ultor agat.
Est modus, atq; tenor, quidq; utile, quid sit honestum;
In medio ut poßis omnia nosse foro.
Oscula dat gnatis genitor, gnatusq; Parenti;
Si mala, cur liceat? Sin bona, cur pudeat?

Quid Ligurum populi, unde Padus primordia sumit
Qui Tanarum, & Stauram, qui Doriasq; bibunt.
Quiq; alpes, Penina iuga, & Rhodani arua frequentant.
Ad Rhœni ripas, Oceaniq; salum,
Ignoti, notiq; simul discrimine nullo
Oscula pro casti pignore amoris habent.
Tanta est simplicitas morum hic. Is pectora candor
Obtinet, & puræ mentis amica fides.
Hospes ita uxorem, & gnatas grati hospitis omnes
Accipit adueniens in gremium, inq; sinum,
Castaq; dat tenero amplexu, & casta accipit idem
Oscula; Virq; suæ gestit honore domus.
An quisquam Vxores Academi lege requirat,
Qui tam communi degere iure potest?
Sunto aliqui nimia morum asperitate Seueri,
Inuideantq; suis Oscula pignoribus.
Rusticitas Nomadum barbas hirsuta comantes
Horreat, atq; nihil nouerit ingenuum.
Sis potior Spartane mihi, ut certamina ponis
Basioli, & lucta fortis, & ore tener.
Nostra etiam pietas queritur fraudata receptis
Oscula in hospitibus, tam probus oris amor.
Ipse etiam casta dum operatur mente Sacerdos
Oscula dat, quæ dent ille, uel ille alijs.
Suauiolum quid sit, si nescis, disce, potiri
Est anima, in uero pignus amore nouum.
Nam si Animæ sedes sanguis, de sanguine labra
Si sint, in labris maxima pars Animæ.

Insedisse autem labris ea noscitur, ipso
  Muricis indicio, sanguineæq; notæ.
Ecquid Amor, nisi iuncta anima est? immo una gemello
  Corpore; id unum angit, ni sit utrunq; simul.
Iungere uis animos animis? imitare Columbas;
  Labra labris iungas, oribus ora premas.
An tibi Pithona, Indos'ue, aut mostra domandum,
  Inter cœlicolas ut mereare locum?
Oscula quod norit tota de gente uolucrum
  Donata est Veneri sola Columba Deæ.
Hanc colit Aegyptus, Diuumq; adscribit honori,
  Legitimiq; sacrum nomen Amoris habet:
Quod si ut mortalis tantum mortalia curas;
  Teq; satis nostro nomen in orbe mouet.
Dic mihi quid Roma præstantius? Oscula Romæ
  Condendæ in Latio causa fuere solo.
Sic memorant, nec uana fides. Nam Tybridis alueo
  Sulcabat tacitas aduena claßis aquas,
Proxima Auentini spectabant pascua montis,
  Et septemgemini culmina læta iugi;
Appellunt ripæ proras, iuuenesq; senesq;
  Læta canunt, ac si terra paterna foret.
Fundarant puppes dente unco, & fune ligarant:
  Omnis & in sicco margine cœtus erat.
Quæ regio explorare uiri, saltusq;, casasq;
  Quærere, & armenti contrahere inde greges.
At matres miseræq; nurus tam longa dolentes
  Exilia, & tantum deniq; obire maris.

Iniecere faces claßi. Iam transtra carinæq;
Indomito ardebant usta uapore picis.
Attoniti uiso redierunt Arcades igne;
Auxiliumq; fugæ deperijsse gemunt.
Conantur rapidas undis extinguere flammas;
Nil uires, & nil flumina fusa iuuant.
In Matres sæuire parant, gnatasq;, nurusq;
Cedere, & insanæ facta piare manus.
At Venus hos populos, atque hæc sibi debita fatis
Regna, suisq; simul conscia Martigenis,
Suasit ut aduersæ fusis per colla capillis
Illæ irent, turbæ brachia nuda darent;
Osculaq; amplexis libarent blanda maritis;
Nec sinerent ullum dulcis amoris opus.
Corripit hic natum mater, & nata parentem;
Et matrona sui Coniugis ora petit.
Oscula sic iterant, sensimq; per oscula lentum
Torporem infundunt, sæuitiamq; abigunt.
Iam posuit, dum tarda mora est, grauis ira furorem;
Victaq; blanditijs arma dedere manus.
Quid faciant, consulta petunt. sententia demum
Visa hijs esse locis, si bona fata uelint.
Iuppiter ambiguas candenti fulmine mentes
Firmat; & auspicijs dat rata uota sacris:
Consedere igitur; tibiq; o pulcherrima rerum
Roma, locum, nomen, iusq; dedere soli.
Quæ simul ut creuit, meritorum grata, memorq;
Aeternum uoluit Basioli esse decus.

Ergo ut quæq; uiro prodiſſet fœmina noto
Obuia, libabant Oſcula uterq; ſua
Sic, quia grata fuit, terræ fuit unica princeps;
Nunc terræ, & cœli iuraq; faſq; tenet.
Oſcula quis nam igitur damnet, niſi barbarus, exlex,
Impius, ingratus, trux, uiolentus, atrox.
Quare age ne fugias mea Daphnia; at Oſcula libes,
Oſcula libatis mille morare tuis.
Oſcula ames inquam, ſi uitæ eſt ulla uoluptas,
Si tibi curæ anima eſt, protinus Oſcula ames.

Ad Clariſs. P. Bembum, quod
non Amare non poſsit.

BEmbe tuis quis non monitis molleſcere poſsit?
Durior alpina queis ego caute fui.
Bembe mei non tam ſtudij moderator amicus,
Quàm morum, & uitæ forma, modusq; meæ,
Quas tibi quas tanto referam pro munere grates?
Qui noſtri curam ſuſcipis ingenij,
Dignatus miſerum diuina uoce clientem
Solari, Aonia dulce ſonante chely.
Qua ſolitus mulcere feras, firmare uolantes?
Cuius ope, ut ſiſtis flumina, ſaxa moues.
Ah miſer, ah cur non tandem te reſpicis ipſum,
Expertus ſtudium quàm ſit inane tuum.
Nunquam erit ut tecum uitæ diſpendia pendas,
Tandem auſus rebus conſuluiſſe tuis.

Nonne uides maciem, palloremq; ah miser artus
  Liqueris, ut glacies igne soluta perit.
Omnia dum temnis, dum sola est Daphnia cordi,
  Daphnia Principibus uix adeunda Viris.
At satius quanto est alio diuertere mentem
  Pondera tentantem uiribus aequa suis.
Saxa uidet scopulis Ithacus pendentibus Heros,
  Quae prendat, triduum naufragus, atq; fugit
Inter utrunq; natans terram & mare, quaerit ab undis
  Hostia labentis fluminis aequa dari.
Tu nimis alta petis fundum deiectus in imum,
  Vnde tibi sit spes uincere nulla iugum.
Tranquillo si petra mari sublimis ab alto
  Te uocat, insidis decipiere uadis;
Nam sileat quamuis unda insidiosa, quietis
  Fallit aquis, rapidis uorticibusq; uorat.
Et toto quamuis scopulo Conchilia gemmis
  Bacchata eniteant. omnia sunt lacrymae,
Si de porrecta pendere Corallia rupe
  Aspicias, fusi sanguinis indicium est.
Aspera saxa illic Tophis concreta malignis
  Qui lacerent dumis, aspalathisq; manus.
Aequa tuis igitur studijs deposce, monemus:
  Nolit ephippia bos, nec sit arator equus.
Quae quotiens mecum sincera mente reuoluo,
  Nimirum inuenio Bembe ea uera nimis.
Omnis at incassum nissus mihi cedit, & ignis
  Allutus gelidis acrius ardet aquis.

Fata obstant, omnesq; trahit malus error amantes,
Oblata ut spernant dona, negata uelint.
Sidera, Naturam, mores quis uincere posit?
Quæ tria me tenerum semper amare iubent.
Nanq; Venus firma Saturni sede recepta
Vincula ceruici imponit ahena meæ.
Sidere tum Genius nobis delapsus eodem
Ingenium affectu format utrunq; pari.
Ille quidem prima Geminorum emissus ab aula
Igneus Aetherei lactis ab orbe micat.
Et iungit studia, & mores. hæc omnia uidi;
Illa tamen nostri nescia amoris adhuc.
Atq; ego non ausim, fateor, concredere flammas;
Ni præsaga meæ sit prior illa facis.
Hoc erit, atq; meo crutiabitur illa dolore;
Cum mea erit longo tempore nota fides.
Nil quando in rebus Natura ardentius optat,
Quantum aliquem ingenio, & moribus esse parem
Cura uigil, studiumq; ardens me suscitat, & quod
Improbus exsuperat maxima quæq; labor.

Ad Paulum Capiuaccium Patauinum
Frugerini E Q. F. Resectæ primo Lanuginis
Dedicatio.

CVI, cui prima meæ donem munuscula Pubis
Quæ primum facili sunt modo secta manu?

Iudicio res digna aliquo Paule optime, ritus,
Aut merita ulla hominum agnoscere, siue Deum.
Consilio ergo tuo, & sapienti utemur amico,
Tu uideas nunquid mens mea rectum agitet
Qui mediter, tali esse unam quam munere donem.
Daphniolam, & merito pluribus ante feram.
Posthabito patriæ fluuio, qui uertit Anaxi
Nomen ob immersæ funera Filiolæ.
Scilicet ista tibi debentur Daphnia, cuius
Numine succedunt omnia læta mihi
Nec sibi prælatam te dedignetur honore
Barbatus, nondum pubere patre, Deus.
Siue Iouis de mente ortus mortalibus aßit,
Cui Minij paret uis operosa soli.
Nanque Dei, si iusta probant, & honesta reposcunt.
Laudabunt iustis munera missa modis.
Quidquid enim humano generi conferre probetur
Ille, mihi obueniunt munere cuncta tuo.
Ille graues morbos adimit mortalibus ægris,
Tu mihi sola salus, tu mihi sola quies.
Morte obita Hippolytum reuocauerit ille ab auernis,
Tu reuocas Lethes nomen ab amne meum.
Nempe obscurus eram memini, tenebrisq; sepultus,
Dum mea erant nulla pectora tacta face;
Postquam repserunt tacitæ in præcordia flammæ,
Ossaq; non solitis incaluere modis.
Tunc laudis succreuit amor, tum gloria, honosq;
Se simul ante oculos exhibuere meos

Stultitiam calor ille meam, uis illa teporem
Expulit, & quidquid rusticitatis erat.
Indociles etenim rerum, ignarosq; canendi
Egregios nouit reddere solus Amor.
Ergo animosus humi deiectam ad sydera mentem
Sustuli, inaccessas ausus inire uias.
Ipsa igitur sic me uitalibus asseris auris,
Sic factura aliquid nominis esse mihi.
Dum studeo similem tantæ me reddere formæ;
Dum studeo tanto digna calore loqui.
Quidquid enim nostro defluxerit aptius ore
Daphnia, erit Laudis munus, opusq; tuæ.
Prima igitur dentur nostræ tibi segmina pubis;
Ingenij quæ sis aura benigna mei.
Non tamen hæc auro, aut uario condentur Achate,
Quæ mihi si non sunt, Tu nec habere rogas.
Sed primis ueniunt Elegis tibi condita, Myrrha
Atq; croco, & uiolis, & saturata rosis.
Ipsa locum aßignes, ubi mox suspensa morentur;
Sunt ubi tot Citharæ, naulia, plectra, lyræ.
Vt quotiens animi tua blandimenta frequentas
Surreptet uatis dulcis imago tui.

Ad Benedictum Lampridium de Mentis auocatione
Daphnia rusticante.

DApnia, me miserunt, Venetis discedit ab undis,
Ah petat ut uotis inuida rura meis.

Quid faciam Benedicte? meo solamen amori
Quod nam erit? an potero mane ego Sole frui?
Nec mihi se obtulerit mea lux de more uidenda
An uice perpetuæ noctis habenda dies?
Quid faciam? fugit illa procul, nemora auia lustrat;
Et uidet indomitis tesqua habitata feris.
Nec mihi fas dilecta sequi uestigia, & urbem
Florentem studij deseruisse bonis.
Hinc Vrbanus enim tractat Demosthenis arma,
Vatis & Ascrei, Mæonidæq; locos.
Inde meum dictis animum emendare Platonis,
Deq; adytis Cœli res aperire nouas
Cura Leonico, Duce quo Sapientia, & artes
Doctæ Antenoreis emicuere uadis.
Dum causas rerum abstrusas, latitantia uerbis
Sensa sub obscuris, dißidiumq; patrum
Componit, profertq; omnem e penetralibus ignem,
Singula ut in prompta sint manifesta manu.
Atq; alij, atq; alij cessantem hortantur amici;
Ad metamq; iubent usq; agitare rotas;
Ne medio in cursu transuersi ut munere mali,
Falsus honoratum munus adire morer.
Et tamen illa animæ pars altera, & altera nostræ,
Et cum sit corpus corporis illa mei,
Me rapit, & secum inuisas reptare per oras
Cogit, & esse simul rure, simulq; domi.
Mens siquidem obsequitur Dominam, grauitate retenti
Corpus ab inuisa linquitur exanimum.

Hem quis erit, Genio qui obsistere cogitet, auctus
 Herculeis ni sit uiribus, atq; animis.
Ergo ego cur montes, & opaca silentia tecum
 Non peragrem? adq; datæ munera sortis eam?
Hem ualeas Vrbane, uale doctißime Thomeu
 Valla, atq; Alde uale, Marce Sabelle uale.
Et quæ Socraticis latitat sapientia chartis;
 Quæq; data in latis dogmata porticibus.
Atque Sophoclei dictata obscura Cothurni,
 Et ueterum ualeant tot monumenta Virum.
Quiq; graui nimium Imperio cohibere iuuentam
 Cogitat, & Canos flagitat ante diem.
Nanq; inuisa mihi uenit hæc Sapientia, & omnis
 Doctrina hæc rebus perniciosa meis.
Hijs liceat studijs aliquam indulgere quietem,
 Fulturamq; iocis quærere de lepidis.
O ego nunc densa tecum spatiabor in umbra,
 Dum nouus arentes ardor hiulcat agros.
Dumq; in aquas tenerum gelidas immergere corpus
 Sola soles, æstus sole mouente graues.
Tunc ego post frutices altas'ue reconditus herbas
 Captarim flexo tempora certa genu.
Dum tu deponas lateris uelamina mollis,
 Sollicitumq; trahant densa salicta metum.
Vnde optata petens amplexu pectora dulci.
 Et teretes artus, oraq; amata diu,
Inijciam solidis hæc brachia blanda papillis.
 Et fronti, atq; genis basia multa notem,

Nec liceat tibi per uarias euadere formas:
Ars nihil hæc magnam uisa iuuare Thetin.
Siue leo, siue illa Draco, seu luderet ignis,
Vnda'ue. In amplexum denique lapsa uiri est.
Non ita littoreo thalamo iritatus adhæret
Polypus expandens larga flagella solo,
Complicitis omni ueluti te parte lacertis
Prensarim. o succi marmora plena boni.
Admoneant quamuis Veterum dictata, futurum
Vt me pœniteat, pœnituisse uelim.
Ardea si totiens dulcis experta dolores
Iungitur, exemplo est Ardea puberibus.
Quid tamen hæc meminisse iuuat, si uera negantur?
Spe uotum at quauis sæpe fouere iuuat.
Illa malis totum reliquis populantibus orbem
In Pandorea pixide operta latet.
Illa notis tumidum aduersis uoluentibus æquor
Suadet hydrunteæ soluere uincla rati.
Illa sub hostili, telis dum grandinat, arce
Suadet in obiectas arma tenere neces.
Illa sub immensa turbarum mole sepultum
Me fouet, extinctus ne peream, illa facit.

Ad Integerr. Tryphonem Gabrielum Patr. Ven.
Amantium Timores Varij.

TErtia iam lux est, Patatui cum Daphnia in agros
Discessit, Theoli rura superba petens.

Tertia

Tertia quin ætas: una nam luce senescunt
Quos grauis ardor habet. quos Ferus urit amor.
Hinc me tot male habent curæ, tot tristia torquent;
Dum timeo quidquid credula turba timet.
Daphnia rura colis tam sæuo ardentia sole;
Inq; sitim, inq; luem Sirius omnia agit.
Corpora languescunt æstu mortalia tanto;
Sollicitum cura hæc me premit una tui.
Scilicet impatiens tanti ne molle caloris
Corpus inumbroso corripiatur agro.
Siue pluit, pluuia ne deprendaris ab unda
Siue tonat, ne te fulmina sacra petant.
Inuidus ipse quoq; est nonnunquam Iuppiter; ergo
Extinctum questa est Iasiona Ceres.
Et Linus, arte lyræ præstans fidibusq́;, peremptus
Inuidiam æternat uictor Apollo tuam.
Verum alio magis heu terrentur corda pauore
Daphnia, Semicapro ne rapiare gregi.
Lasciuus Fauni chorus est, Panesq́; salaces
Et sunt monticolæ turba petulca Dei.
Inde minis Miles petulans, hinc Diues opum ui;
Ille alia oppugnet te uiolentus ope.
Ne numerem nostri centum argumenta timoris;
Omnia acerba timet deniq; quisquis amat.
Quiq; timet miser est semper. Hem fabula; Triste
Nil, nisi quisq; sibi quod meditatur, habet.
Non Veneto hæc metuenda solo. Germania rapto
Viuat, & Hospitibus Rhenus iniquus eat;

Illa improuiso inijciat Collaria nodo;
Et statuat sceleris præmia certa sui.
Daphnia non istis nostra est obiecta periclis;
Nullum illi intentant arma tremenda metum.
Cura huic ad uitreos dulcißima carmina fontes
Concinere & facili plectra mouere manu
Quid ferrum hæc meditetur, Amazoniasve secures
Ante oculos cui sunt tibia, plectra, fides.
Hoc utinam uitæ peragamus tempora cursu.
O pereant, si quos claßica pulsa iuuant.
An superi æternos alio de nomine honores,
Quam quod perpetua pace fruantur, habent?
Bella feræ immanesq; gerant crudelia gentes.
Tranquillæ fuerit causa quietis amor.
Sint procul o, quæ dira canunt tristi omine Vates,
De toto excitus Martius orbe furor,
Omnia quæ nobis nuper radiantis Olympi
Gauricus arcanis protulit ex adytis.
Quæq; olim Anselmus, quæ nunc Zacutius addit,
Per tot lustra armis omnia plena malis
Vt miseram Italiam totis gens Alpibus orta
Diripiant, fœdent sanguine, & igne crement.
Nil sit in orbe sacrum, Diui temnantur, & aræ,
Templaq; sacrilega sint uiolanda manu.
Romaq;, ubi nostræ caput est pietatis, Iberum
Et Germanorum concidat insidijs.
Quid nam igitur censes Gabriel doctißime agendum.
Consilio res est nostra regenda tuo.

Qui noua'q;, qui ueterum calles exempla, tuoq;
Ingenio, quidquid Parca net, ante uides.
Solatus totiens illo me sedulus ore;
In quo Vis tantæ nobilitatis adest.
Difficile est consulta Deum præsciscere quænquam,
Terreno qui sit carcere clausus, ais.
Sponte sed emanant, etiam si forte cubaris:
Siue bonum eueniat, siue malum ingruerit.
Nos imprudentes mala nostra fouemus, & illa
Magna ideo apparent, magna quod esse libet.
Contra autem imminuas, contemne, & despice; demum
Quæ mala credideras maxima, erunt minima.
Dij Cœlum, & Terras, Dij nos fecere; ferantur
Arbitrio Diuum Sydera, terra, homines.
Alto hij consilio placidis immitia miscent;
Cumq; propinarint Mella, adhibent Aloen.
Intererit quo quisq; animo sua pensa receptet,
Ille miser, quisquis se miserum esse uelit.
Docte Tryphon, facunde Tryphon, nemo aptius ista
Disserat, aut pro re consulat Vtilius.
Curæ igitur tristes ualeant, gelidiq; timores;
Dummodo amet Vatem Daphnia cara suum.
Porro age uiuamus mea Daphnia, Daphnia amemus;
Impauidum & feriet nulla ruina Caput.
Non si illabatur perfracto Cardine cœlum
Terreat, unanimes quos Amor almus habet.

De Verna Temperie quæ Patauij tota hyeme fuit, Anno Salutis. M D V. ad Theodorum Paganum Bellunensem.

QVæ sit hyemps Theodore uelim te scribere nostro
Cœlo, ut in Alpinis frigeat aura iugis.
Quamq; alta stet Serua niue, & Læbactia saxa;
Pollia quo rigeat Poetica operta gelu
An Pagi illa palus fontesq;, amnesq;, lacusq;
Vno eodem, ut solitum, diriguere modo.
An, qui fluct. sonis procul omnia territat undis,
Nunc silet, & duras sistit Anaxus aquas?
Quid Victoris apex, & Feltria celsa; pruinis
Obruta ne? an solidam tota abit in glaciem?
Qualis Arimineo uati medio urbis eunti
Subduxit lapsos ludificata pedes.
Qui dolor omnium erat perculso corde timentum
Aureli hoc casu te perijsse Pater.
Dij melius uoluere, quibus sunt Carmina curæ,
Et Melos, & doctæ plectra canora lyræ.
At me, dum Pataui hoc hyemis rerum ordia prima
Et fines uigili quærere mente iuuat
Nondum, ut moris erat, densæ circum ilia Vulpes
Obductæ, neq; adhuc obstupefacta manus
Admota est ori; uel opem quæsiuit ab igne,
Aeria tantus spirat ab arce tepor.
Aegoceros imo quamuis de limite cœli
Prodeat, Et Phœbo nunc duce carpat iter.

Non factura fidem fortasse nepotibus addam;
  Paßim assunt uiolæ, uernaq́; dona rosæ.
Incipiunt Sentes grauidis erumpere gemmis;
  Et Calathi tunicas exsinuare nouas.
Intempestiui tonitrus, & fulgura paßim,
  Quæ Tauro fieri primum oriente solent.
Non stupet hoc Pestum, aut uernis Lucania campis;
  Sed stupet Euganei terra niualis agri.
Acclamant omnes præpostera legibus ire
  Tempora Naturæ, sidera uersa retro.
Quidam ait, attritum longa uertigine Cœli
  Fregerunt aliqua Sidera parte polum.
Hinc Sol, hinc reliqui totum per inane feruntur
  Errones; quondam ceu Phaethontis equi.
Tantisperq́; Deus dare frigora debita cessat;
  Dum reficit fractæ singula frusta rotæ,
Dumq́; Faber ducit magnos incudibus orbes,
  Fit tonitrus, flammis ferrea massa micat.
Verum age fœmineos iam mascula turba timores
  Excute, & a uano pectora solue metu.
Ne te decipiant Phanatica uerba furentum;
  Nec, qui nescit humum, sidera nosse puta.
Hæc siquidem inferiora suo sub Numine aguntur;
  Decretoq́; Deum stant uariantq́; uices.
Materies namq́; ipsa, suum ceu Sponsa maritum
  Appetit, & læti tempora coniugij
Et quotiens cœli aspirat clementia, dotes
  Exponit tellus officiosa suas.

Hinc Natura locos, & tempus nacta ferendi
Clementi Brumæ tempore cuncta parit.
Verum utcunq; habeat cœlum, ut iam ista relinquam,
Tu quid agis? pulchrum quod meditaris opus;
Quæ Thyma? quos flores Cyrræ de uertice carpis?
Quosue paras patria mittere ab urbe fauos?
Quoue lepore animos mulces, quo pulpita risu
Concutis, exhilarans pectora cuncta iocis?
Et tamen hos interq; sales, & ludicra, nunquid
Cura tibi est tandem Ciuica iura sequi?
Quo tua te probitas inuitat, & indolis altæ
Spes magna, & morum gloria nobilium.
Rumpe moras quid enim patrio teris otia nido?
Non non Bellunum te, uel amœna, capit.
Ingenium hoc præstans Augusta Perusia noscat;
Doctrinam laudet Felsina celsa tuam.
Mox omni Euganeæ sis admirabilis oræ;
Qua Venetum lata ius dicione uiget.
Iudice te lites multæ magnæq; secentur.
Arbitrio constent quælibet acta tuo.
Hæc mihi poscenti de te dictabat Apollo.
Perge age, ni desis tu tibi, magnus eris.

Ad Fabium Vigilem Spoletanum Allusio
ad Spinulam Riualem.

VAtibus en etiam Pythijs numeramur amantes
Doctæ Vigil, Phœbi dulcis alumne Vigil.

Dum Cortina aperit sortes, & Delphica Laurus
  Manditur, atq; tremunt corda agitante Deo;
Multa in amore mala aspicimus, canimusq; uicissim;
  Sed sumus euenti præscia turba mali
Qualia nam hesterna conspexi somnia nocte;
  Somnia ne, an facti quæ simulacra forent.
Visus eram niueos manibus tractare lapillos;
  Vnio in hijs, lætis gemma inimica Viris.
Quo numero gelidis Thules nascuntur in oris;
  Quo serto ad Gangis littora longa tument.
His mea uita caput uittis redimita superbum
  Ibat, opes uincens uel Cleopatra tuas.
Hos tum ego de Cirris sensim decerpere longis
  Gaudebam, & digitis occuluisse meis.
Tam mihi carum aliquid mecum asportare latenter;
  Oscula cui mane, & uespere mille darem.
Diues eram. Ecce autem subito dispersa per auras
  Munera de manibus tam preciosa uolant.
Nec mora longa fuit, cum uera insomnia noui;
  Sæpius utq; metu uaticinatur amans.
Nam dare flexanimes audita est Daphnia uoces,
  Discruciata pedes, dilaniata comas.
Illa quidem Volucres dum uisco, & uimine fallit;
  Inuitatq; uagas Noctua Mimmus aues,
Extremis uisco Passerculus hæserat alis;
  Ambigeres captus, liber an esset adhuc.
Protinus exilijt prædam captura fugacem
  Daphnia, nec fruticum cæca pericla cauet;

Dumq; ruit temere, dum plausu uerberat auras,
Apprendit rutilas uepris auara comas.
Explicat implicitos digitis dum mæsta capillos,
Ambrosium fixit spina proterua pedem.
His cruciata malis dederat tot Daphnia quæstus
Dilacerata comas, sanguinolenta pedes.
Heu quales laceri crines, quos Cynthius illi
De proprio abradens uertice ferre dedit.
Quos Venus æterna Ambrosia perfuderat, & quos
Ornarat manibus læta Aglaia suis.
Dic mihi, dic age Musa; Rubum quæ causa malignam
Impulerit talem dilaniare Comam.
Scilicet Hæc fuluum uidisse putauerat aurum;
Atq; sibi prædam finxerat inde nouam.
Vir olim Rubus ut magnas cumularet auarus
Mercis opes, multis uestibus ornat onus.
Vestibus aut furto raptis, aut fraude paratis,
Institor & liquidas pergit inire uias
Ecce notis tumidum rapidis turbantibus æquor
Discutitur nauis, discutiuntur opes.
Indignantem animam gelidis extinguit in undis;
Et pessum it tunicis, & graue corpus aqua.
Perq; nouem reuoluta dies imo æquore fluctus
Littoreo eijciunt naufraga membra solo.
Nec mora contacta mutauit corpus harena:
Fitq; frutex rigidis horrida uiminibus.
Inq; hamos abeunt ungues uelut ante rapaces;
Mora dat in dumis insidiosa cruor.

Vtq; memor, quas mœstus opes amiserat unda,
Has studet obsessis nunc reparare uijs:
Hinc queritur lacera nullus non ueste uiator;
Flet miserum hinc scissas Daphnia nostra Comas.

In Eundem Riualem Spinulam
Allusio.

An totiens moneam. In primis mea uita cauenda est
Spina, olim plantis insidiosa tuis.
Spina inimica mihi & Stygijs odiosior undis,
Spina uenenatis anguibus atra magis.
Cauta uide ne dum siluarum densa subintras,
Spinula candidulos pungat acuta pedes.
Prata pedes quamuis inuitent florida nudos,
Floribus œbalijs sæpe subest tribulus.
Ille etiam Numen petulans cœleste fefellit;
Est Venus exemplo uepribus icta pedes.
Illa quidem studiosa suum defendere Adonin;
Gradiuus stricto quem petit ense ferox,
Affixit grauibus uestigia cæca Rosetis;
Vnde alba Idalio picta cruore rosa est.
Quod nequeunt Superi uitare, cauebimus ipsi;
Qui misera geniti conditione sumus.
Nec queror hæc, tanquam mortali sola cauenda.
Dira pericla loci sis ubicunq; latent.
Plena malis tellus, plenum mare, plenus & aer;
Vnde etiam umbra leuis sæpe timenda tibi est.

Quam uereor, ne sola petens fruticesq; nemusq;
Impastæ fias præda cruenta Leæ.
Inque oculis miseræ fatum lacrymabile Thisbes;
Rapta uel incautis paßibus Eurydice.
Nec sperare licet ualidas hoc tempore uires.
Cyrene spolium sola Leonis habet.
Sola ferum exarmata procul contra ausa Leonem
Stare, & in audaces prosilijsse iubas.
Tu licet aspectu ualeas mulcere benigno
Cuiuscunq; trucis spumea rostra feræ,
Forsitan hoc obsit. pulchrum lacerauit Adonin
Dum femoris nudi basia captat Aper
Ne mihi, ne talis rogo nuntius impleat aures;
Ne Cyanippeo mox te ego more sequar.
Ille etenim ante oculos, Vxoris membra pudicæ
Viderat a canibus dilacerata suis,
Clamauitq; alto dissectus corda dolore.
Sic sine me Coiux dulcis inulta cadas?
Protinus incubuit ferro, sociamq; secutus
Vnanimem, inuisas lætus abiuit aquas.
Quis non Oenones firmum admiretur amorem
Quem uel in ingratum testificata Parin
Nanq; illam, dum Pastor erat, Paris arsit; ut inde
Cognitus est Priami filius, atq; Hecubæ
Affectare Iouis natam, & connubia cepit
Inclyta, & a magnis sollicitata Deis
Duxit ita in patriam lacrymosi incendia belli;
Traxit et infaustas in sua tecta faces.

Illa autem Idæo miseros de uertice amores,
Elusamq; fidem coniugij queritur.
Atq; afflata Deo, & uenturi præscia fati
Flet miserata tuam, non sua damna, uicem;
Ante oculos ut quæ iam tela Thoantia cernat.
Hæsura in membris Phryx male amate tuis.
Et sero memorem desertæ coniugis artes.
Imploraturum supplice uoce suas.
Nec tamen illa tibi auxilio, quod fata uetabant,
Esse uolens potuit præueniente nece.
Quod potuit fecit, si tecum iungere uitam
Non licuit, licuit, te moriente mori.
Nam, simul ac animæ corpus conspexit inane,
In te eadem ipsa sua corruit icta manu.
An tibi si quidquam acciderit (procul omen abesto)
Me ne putas unum uiuere posse diem?
Non sua, si Reges mihi cedant sceptra beati
Te sine uel minimum degere uita uelim.
Vno eodem ut serues igitur duo corpora fato,
Omnia præstiteris, si tibi cura tui.
Vita tibi imcolumis dum sit, satis ipse ualebo;
Quandoquidem est uitæ Dux tua Vita meæ.

Ad Fantinum Cornelium, Episcopium.
Patr. Ven. Virum magnanimum.

CVm tibi tres numero Natæ Fantine adolescant;
Quæ Doti poscunt multa talenta suæ.

Mox etiam Gnati florenti ætate sequantur
Bis duo, qui ad censum millia multa petant.
Cladibus attritus magnis tam sæpe, nec unquam
Fractus, in angustas fortis ubiq; uices,
Seu Naues bello incensæ, seu fluctibus ictæ
Dissiliant, medijs seu periere uadis,
Seu tu Deposito grandi fraudatus, amicos
Perdideris cum re, cumq́; opera officium.
Tu tamen ædificas Vrbana palatia sumptu
Magnifico, atq; pari rustica sorte polis.
Splendida tota domus, cultu preciosa supellex;
Lauta Siracosio mensa parata toro.
Scilicet illectus Veterum splendore Parentum
Strenue agis, qua te sidera parte mouent.
Horum ope, consilijs, uirtute, & uiribus aucta
Publica res, ideo præmia laudis habent.
Tu uero nulla rerum ambitione laborans
Rebus amicorum consulis, atq; tuis,
Quin etiam in cunctos audes tot munera Notos
Diuidere, & Patriæ sic decori esse tuæ.
Munera eunt Cyprij, qui balsama uincat, odoris,
Missaq́; Creteis æmula uina cadis.
Et Charitum folia, & Casiæ, & uelamina Serum,
Metaq́; marmorei candida mellis adest,
Quæq; Amathus, quæ celsa Paphos, Salamisq́; rependũt:
Quæq; tuæ felix littus Episcopiæ.
His ego sum totiens hospes cumulatus, & usus
Sæpe tuæ, ut propriæ, commoditate domus.

Verum ego quid sterili nostra de ualle remittam?
An laricem, an Piceam, Roborane, an Tiliam?
Poma quidem, quæ Diua dedit mihi Cypria, donum,
Et uitulus nondum gramina pastus, erunt.
Ne tamen ista tibi sint uilia Poma, monemus;
De Veneris siquidem sunt ea sumpta sinu,
Scilicet Idalio, aut Damaseno littore Cypris
Ionij tulerat tedia longa maris;
Hinc adijt Calabros, & amæni rura Tarenti;
Mella ubi de folijs mollibus ore legas.
Visit & Alcynoi siluam, & uineta Lyburnæ
Falcis, ubi in nuda suaue rubent silice,
Agmina agens uolucrum, quaqua inclinaret, Amorum.
Demum in Iapidiæ littora desilijt.
Siluarum inuitabat honos, hortiq; uirentes.
Plurimaq; in ramis aurea mala suis.
Aurea mala, Cydon quæ quondam misit ab oris
Ideis, Veneto nunc celebrata solo.
Non alio gauisa magis Cytherea uolemo
Sit mihi sub te inquit Pomus amata quies.
Ite agite o Dulces mea sola potentia nati;
Sternite maternum fronde sub hacce torum.
Haud mora festinant acri certamine nati
Sternere odoratum frondea fulcra torum.
Mollia dum hæc blando declinat lumina somno,
Hij subeunt uigiles in statione uices.
Vnus ut hic alios ludo iritaret Amores;
Qui paßim errabant per geniale solum

Appetijt Pomum digitis Vegrande minutis.
Sæpe etenim hæc Pomis ludere turba solet.
Carpere nec potuit, sed quod manus ignea adußit
In speciem flammæ creuit, & arsit apex.
Tentat idem ex alio, atq; alio, frustraq; laborat.
Mox quot erant fœtus, tot faculæ ignis erant.
Hæc Poma ante alios fructus Dea candida amauit,
Et sparsit nostris semina multa iugis.
Afflauitq; solo tacitam uim. Cresceret arbos
Aurea, Noricios nobilitaret agros.
Aspice, ut insolita est nostro, & noua forma uolemo
In flammam ut torto uertice Pomum abeat,
Succrescantq; omni tremuli de parte uapores:
Et quos si tangas urere posse putes.
Hinc quodcunq; sua decerpis ab arbore, dicas
Flammarum Implexo turbine id esse globum
Aureus his color est, Amor aureus, Aurea Cypris.
Austerus sapor est; ipse etiam asper amor.
Mella dare hunc credas, nisi postquam uulnus adactū est,
Clamq; ita porrecto nectare plaga subit.
Ipse odor & Myrrham, & Panchæos uincit odores,
Et quidquid Phœnix congerit in tumulum.
Vsq; adeo ætherea suauis difflatur ab arce
Halitus, Idaliæ missus ab orbe Deæ.
Diuæ igitur Paphiæ donum hoc, quæ præscia rerum
Testatura olim delicium ipsa suum,
Ista tibi Fantine dedit, me uindice, habenda;
Omnium ut es quod amas, & quod amaris, Amor.

Ad. M. Ant. Sabellicum Praeceptorem.
De portentis, ante aquam totus terrarum orbis in Venetos conspiraret.

EST aliquis mens ipsa Deus, de semine Coeli,
De superis porro sedibus illa uenit.
Vsq; adeo euenti semper praesaga futuri,
Quod nusquam est, multo praeuidet ante malum.
Quin etiam totus, quo circunfundimur Aer
Aetherijs paßim praeditus est animis,
Qui tacito semper uideantur in aure susurro
Instillare homini consilia alta Deum.
Ilicet & cum membra toto sopita quiescunt,
Libera mens coelum scandit, aditq; Iouem;
Atq; hunc, atq; illum e Superis per longa salutat
Atria, & illa uidet, quae latuere prius.
Quid sit cumq; satis manifestum est contremere omnem
Euganeam, horrendis casibus attonitam
Corda hominum paßim nam consternata uidemus
Olim uenturis nunc trepidare malis.
Terrifica insani quae pangunt carmina Vates,
Carmina de exitio Cromnia terra tuo.
Imminet heu quantus venetis labor, otia cedant,
Non mare, non Tellus tuta erit ulla diu.
Cedite iam ingenui, ac alio properate labores,
Artibus hac summis nullus in urbe locus.

Nanq; canunt. Hoc Dij facinus prohibete, futurum
Cedat ut hoc subito pulsa Minerua solo.
Apta manus calamis Enses tolerabit, & hastas;
Apta leui chartæ scuta onerosa feret.
Heu decus, heu specimen Phœbi Phaethontia tellus,
Seu uis Euganeum, seu Venetum esse genus.
Venisti ad culmen studiorum & nominis, heu heu
Destinat in clades sic sua quemq; dies.
Qui tibi perpetuo coniuncti fœdere Reges
Fœdabunt lesa iusq; piumq; fide.
Heu quot amicorum spolijs potientur iniqui,
Tincta quot in socio sanguine tela gerent.
Iurabunt omnes, terrarum quidquid in orbe est,
Omne tuum ut perdant terra Beata decus.
Qua mare, qua montes, quáq; Addua, fonsq; Timaui
Terra nouem magnis inclyta fluminibus;
Per quorum ora uagus paßim premit arua superbus
Hadria, amara ut aquis dulcibus ora riget,
Stagna cruoris erunt, & flumina sanguinis ibunt,
Præda erit omne solum, flamma, fauilla, cinis.
Extemplo ille quidem terra pelletur ab omni;
Et medijs dura sorte latebit aquis,
Sæpe animo, & solitis collectis uiribus altum
Surget, & in latos stagna refundet agros.
Hæc tam dira canunt Vates, maiora minantur
Terrificis paßim monstra nefanda modis.
Motu Creta ruit terræ, non una crematur
Insula in Hadriacis, non regio una Vadis.

Emporium

Eemporium terrarum orbis, Germanaq́; tecta
Tantum opus in cineres flamma proterua dedit;
Mox Nauale tot annorum labor, ac opus, heu heu
Quam subito in medijs funditus arsit aquis.
An referam tristes nocturno tempore uoces;
Numina uel medio sæpe locuta die.
Visa Dei Mater (testis pro littore templum est)
Lugubri Gnatum peplo operire suum,
Eiectoq; sedens trunco clamare per undas
Terra fleas. hoc ter dicere, Terra fleas.
Ille quidem Truncus toti uenerabilis orbi
Visitur, & sancta est religione sacer.
Vnde autem exultas risu, gliscisq́; cachinnis
Italia, O populis sæua Nouerca tuis.
Sic arguta plagis Luscinia cantat in arctis,
Sic duro uinctus Nauita nauigio.
In tua conuertis sceleratum uiscera ferrum,
Et misera in proprio læta dolore furis.
Quin Venetos optas saluos, vt ab igne redemptis
Reliquijs, horum libera tecta petas.
Interea Venerande Senex nos instrue Musis
Dum licet, & Venetum pax fouet Alma solum;
Dum trahis eduras suaui Testudine quercus,
Et liquido lapsas aere sistis aues.
Dum Venetum Historias, primaq; ab origine mundi
Ad tua conscribis tempora Res hominum.
Te sequimur, tibi docta cohors se dedicat uni,
Vt nunc quisq; animis ingenioq; ualet,





Seu tibi in Hadriacis libeat considere tectis;
Siue Aponus cordi, seu Medoacus erit.
Culta uel illectent totamonis collibus arua,
Siue Arquata placent, seu Theolana magis.
Dum datur esse hilares, neq; adhuc crudelis Enyò
In promptu bellum, quod meditatur, habet.
Ne timor ante tubam consternet pectora inanis
Viuamus. Musæ gaudia
mentis amant.

M. Ant. Sabellicus Ioannis Petri Valeriani Nomen in Pierium uertit hoc Epigrammate.

Petrus eras, cum te tot Norica Saxa tenebant;
Pierus ad Venetæ dictus es Vrbis aquas.
At postquam Cyrrha superato Antra illa subisti,
Adscribi Aonijs ut mereare choris,
Iam mihi nec Petrus, neq; Pierus; ista facessant,
Sed fueris uero nomine Pierius.



PIERII VALERIANI

BOLZANII AMORVM.

LIBER SECVNDVS.

AD ILLVSTRISS. FRIDERICVM MANTVANI PRINCIPIS PRIMOGEN.





VM Puer ingenium egregias generose per artes,
Excolis, & quæ sunt Principe digna facis,
Pierius, siquid tanta paret indole dignum,
Testatus cultum qua datur arte suum;
Quid nisi collectos Permeßi ad flumina flores,
Sertaq; ab Aonijs qualiacunque iugis
Offerat? atq; suos tecum meditetur Amores,
Colloquia ætati congrua, & apta tuæ.
Nam uelut ante diem tibi adest prudentia rerum,
Multa tibi ante diem uincula texit Amor,
Hos tu autem ne temne modos, & parua Camœnæ
Dona meæ, Ausonij spes Friderice soli.
Et si animus maior, si mens non indiga Cordis
Anteferat leuibus seria cuncta iocis,

His tamen assuescas aures præbere benignas;
Nam Musas primi Marsq; Venusq; colunt.
Post tibi magni aliquid læti modulabimur olim,
Tam magnas tenero res ut ab ungue geris;
Vt tua te pietas cœlo effert, ut Puer audes
Exilium caro pro genitore pati,
Vt procul à patria, Carisq; parentibus Obses
Vixeris, & Regum flexeris acre odium.
Vt tua frenarit rapidos uigilantia motus
Cum uoluit sacros perdere Roma Patres.
Scilicet occiderat rerum Moderator Iulus;
Principe quo frenos Roma, iugumq; tulit.
Hinc rebus plebs tota nouis se credere, & arma
Corripere, & prædæ dedere templa parant.
Tu Puer in medios properas animosus, & Acer,
Adglomerantq; tibi se Pia quæq; manus;
Quem simul armatæ contra aspexere cateruæ,
Arma excussa manu, paxq; petita simul.
Sic Patribus pacata bonis sua reddita sedes;
Et sua libertas te duce in Vrbe fuit.
Namq; hæc, quæq; alia accedent crescentibus annis;
Et quæ digna geres carmine, carmen erunt.
Seu potius pacis studium crudelibus armis
Prætuleris, pacis dona beata Canam.
Sublimemq; tibi statuemus in urbe columnam;
Aurea quam pingui Copia messe premat.
Grataq; tranquillæ celebrabimus otia uitæ;
Te Duce quæ felix Mantua semper aget.

Ad Actium Sincerum Neapol.
De Amantium Me=
tamorphosi.

SCilicet hanc potero tabem exturbare medullis;
Quiq; adeo uenis ardor inhæret edax,
Non potero, humanis neq; enim conceditur ausis
Detractare, Deo colla premente, iugum.
Nam ueluti rupto fugiat qui carcere, leges
Concitat in se omnes casus & igne & aqua.
Sic Domino quicunq; audet contra ire potenti
Fit Reus, & nullam deinde meretur opem.
Magnus Amor Deus est, habet & ius omne Deorum
Et quisquam inuito fingat amore fugam?
Nulla fuga est; iniecta tibi seu uincla neganti;
Siue ultro dederis nomina, nulla fuga est.
Nempe ego ut abstineam gratis aspectibus; illa
Luminibus ne sint lumina iuncta meis,
Spiritus unde micat dulci cum sanguine mollis,
Cordaq; contactu fascinat usta leui,
Vt simul effingam uitijs inamabile pectus,
Aut minus excultum moribus ingenium.
Vt procul abscedam, ac operosa negotia tractem;
Vt præstem membris otia nulla meis;
Vt cerebro, ut cordi super hæc fomenta requiram.
Nulla aderit tantis par Medicina malis.
Si nequeo me ipsum fugere, & me fallere cautum,
Viuere si nequeo corpus inane animi.

Namq; animus nobis est Daphnia, Daphnia quando.
Qui mi animus fuerat, lumine surripuit.
Vera, fidem nulli forsan factura, canemus;
Vera tamen cum sint, dicere uera licet.
Esse quidem interdum uideor mihi Daphnia, gestu,
Ore, oculis. huius uox, mea, uerba mea.
Scilicet ut nobis Vitalis inaruit humor
Corporis, utq; sibi Pabula certa petit,
Spiritulo tantum, humidulis qui spirat ocellis.
Pascimur, hæc auidæ sola alimenta famis;
Mausolum uelut exuxit rarißima coniux;
In cineres postquam corpus, & ossa dedit.
Hinc nouus in uenas diffusus sanguis apertas
Naturæ format plurima signa nouæ,
Quin faciem alterius mulier grauis ulla marito,
Si quem amet, in natis reddere Sæpe solet.
Nempe quod effigies totos pellabitur artus,
In qua mens firmos fixerit alta oculos,
Cumq; sit ante omnes uehementior illa cupido,
Quæ tenerum exurit nocte dieq; iecur,
Ingreditur sensim dulcißima forma, & amicæ
Dilectæ faciem uerus amator habet.
Quod si forte uelis tali me abiungere amori
In uentos iubeas. Irrita Puluis eam;
Atq; ita non uidear fors non miserabilis ulli,
Qui me adeo ardenti norit inesse rogo.
Musca tamen Paphia est, quæ extincto extinguitur igni
Nempe ut in igne sata est, esse sine igne nequit.

Tu uero nostri lux o Clarißima Sæcli
Qui pessum æui huius non sinis ire decus
Dum canis humana Diuinum in Virgine fœtum.
Virgineos partus, progeniemq; nouam,
Dum rapidum medijs ignem expiscaris in undis
Siue tibi Chloris, seu Galathea placet,
Quo modulante nouem guaudēt premere ora Sorores,
In numeros Italus, siue Latinus eas,
Cur Acti Sincere meum miseraris amorem,
Quo sine dein nobis nulla futura Salus,
Scinde manus, difringe pedes, torque ossa, dolorem
Perpetiar quemuis ferre, nec interea m.
Non patiar sine Amore diem, uel ducere noctem;
Non est Vita, nisi quantum in amore uiges.
O ego tunc moriar tenues resolutus in auras,
Flamma erit in uenis cum mihi nulla meis.
Vt pisces in aqua, Volucres ut in aere sortem
Accepere, pio sors in Amore mea est.

Cur se elegis oblectet, ad Gasparem Obizeum, Patauinum E Q.

DVm Catheanus ager secessu Gaspar amœno
Nos tenet, et Villæ rura beata tuæ;
Grande aliquid tentare mones, animare canoro
Aere tubas, demum prælia cepta sequi.
Quando aliàs maior scribendi copia nunquam
Se se Heliconiadis uatibus obtulerit.

Parthenope externos totiens experta hymenæos
Implicuit bello quidquid ubiq; hominum est.
Tam temere admissus, Regniq; in Sede locatus,
Tam temere eiectus Carolus inde fuit.
Vrbs populosa, Suis lanatæ, quot simul uno
Temporis articulo uersat, aditq; uices.
Dum fugitiuus abit Regali sede relicta
Morus, & Heluetios ductat in arma truces
Dum reditu insubres inopino territat, & dum
Mox capitur turpes lapsus in insidias.
Turcarum ut taceam incursus, classemq; potentem,
Vectaq; in Ionium carbasa mille salum.
Naupactum ecce dolo raptum; ui capta Metone,
Proditione Pylos, fraude Corona ducum.
Materia est præclara quidem quæ accendere mentem
Posit, & æterni nominis edat opus.
Verum ubi sunt uires? ubi causa potentior ipsis
Viribus? & studijs otia digna meis?
Grande opus ingenium diuturno tempore cultum
Exigit, & plenas carmen in omne manus.
Virgilio quales meritæ uirtutis honores
Fert ea, qua melior non erit ulla dies.
Tu manibus, tu Marcello da lilia plenis;
Nempe tibi immensas ille rependit opes.
Sic Pontanus, humo sublatus in æthera summum
Pocula diuino nectare larga bibit.
Tu quoq; cura prior Regum Sincere potentum
Viues, & tali digna quiete canes.

Felices, quibus adrisit Fortuna benigne;
Virtutemq́; alijs auxit amica bonis.
Nam Virtus sine Diuitijs clarescere nescit,
Nec uirtutis egens res in honore suo est.
Hem Puer ausus eram discessum Antenoris, omnem
Errorem, & gentis pangere bella meæ,
Euganea Graios eiectos, inde receptos
Fœdere, tum populo nomina dicta nouo,
Posteritas generosa suis iamq́; aucta triumphis
Quod canerem uena diuite habebat opus.
Nam simul audacis Pipini ponte reuulso
Subdideram Veneto Belgica signa Duci,
Instructa pelagus purgaram classe Liburnum,
Carperet ut tutum Nauita lætus iter,
Hinc Solymi fuerant numero graniore canendi,
Gestaq́; tunc uasto plurima bella mari.
Mox Otho, mox Ligures, insubres, Turca, & Achiui;
Deniq; de toto Martius orbe furor.
Verum ego quid sperem post longa uolumina fessus:
Cum tulerit diram fama cupita famem.
Scilicet expectes hac tempestate benignas
Esse manus; ferri dum furor omnia habet.
Sublati insubrum Proceresq́; Ducesq́; potentes;
Roma quibus crescit res sua tota fauet.
Parthenope illa suos terrarum lumina Reges
Nusquam habet, o studijs sæcla inimica pijs.
Exulat infelix Ligerim Fridericus ad amnem,
Quam laturus erat, poscere iussus opem.

Doctorum perijt Laurus quoq; alumna uirorum;
Mediceasq; omnes sors mala frangit opes
Nec poterit, nisi quondam animos, uiresq; resumant,
Virtuti, & claris moribus esse locus.
Aut Puer ille olim, de quo tam magna tenello
Concipis, in patrium Cæsar eat solium.
Hunc species, hunc ante diem prudentia Regem
Destinat, & magnus, munificusq; animus.
O ego tunc ualeam uersis huic deniq; fatis
In tantis reduci plausibus ire comes.
Et spectare suo radiantem lumine lætam
Parthenopem, quæ nunc dira & acerba gemit.
Nempe ego tunc animis implens maioribus ora
Despiciam calamos, despiciamq; Lyram,
Atq; tubas, atque arma iterum & noua bella ciebo,
Et graue ab Ausonio nomine carmen erit.
Sit proprium hoc Superi, nec primo in flore iuuentæ
Spes Italas falsis tollite de manibus.
Interea Euganeis taciti hæc dum uota fouemus
Saltibus, inq; tuis otia habemus agris,
Mi molles sat erunt Elegi, & leuiora mouere
Plectra, Dioneis plectra petita iocis.
Et mea quidquid agat, celebretur Daphnia, quæ me
Concitat, & totum me sibi sola rapit.
Illius ore libens lepido mens tota quiescat,
Illic ingenij flamma coacta mei.
Mellifluis quotiens mens errabunda labellis
Insidet, Aoniæ uim trahit inde facis.

Hinc tractare Lyram gestit, ridere, iocari,
In cara fieri quidquid amante uidet.
Parua quidem hæc aliis sint argumenta Poetis.
Ast ego nil maius, splendidiusq; puto.
Nempe suum est Gemmis precium, exiguisq; lapillis
Magnaq; de paruo fama labore uenit.
Non & enim in solis laus est præclara Colossis
Sed Formica suum gessit eburna decus
Egregias quamuis tabulas miramur Apellis,
Aeternum exilis linea nomen habet.

Ad Liuium Podocatharum Cyprium
Taciti uis Ardoris.

ITe ite ad gelidum Suspiria feruida pectus;
Ignea concretum soluite uerba sinum.
Ite meas lachrymas, tacitos narrate dolores,
Et nostri tantum conscia tecta mali.
Dicite ut occultis terebrentur tota sagitis
Pectora, & afflictum quo iecur ulcere hiet.
Tota ut Acidalijs candescunt uiscera tedis
Intima quam horrifica est usta medulla lue.
Singultus, curas, gemitus, lamenta, labores
Pandite, & inuiso tabida membra cibo.
Heu, quid agam, qua nam arte queã hanc depellere pestẽ.
Qua me ope de tantis Eripuisse malis
O saltem extrema liceat sub luce dolorem
Pandere, & obstantem deposuisse metum.

Cur moriar liceat saltem quæ causa fateri
  Causa inquam optatæ non inhonesta necis.
Intima sed cæcum tentat præcordia uirus,
  Et premit eliso gutture uocis iter.
Ne ualeam effari, neq; opem implorare, quis, o quis
  Sit pius, & stimulo suscitet exanimum?
Corporibus morbo affectis Podalyrius aßit,
  Mæsto animo attulerit fidus amicus opem;
Nam medico inspecto sedantur sæpe dolores,
  Et cari aduentu mæror abit Socij.
Consule, & affer opem iuuenum clarißime Liui
  Et mea flexanimo surrige corda sono.
Liui, Antenorea quem nunc gemeremus ab urbe
  Ad magna Aeneæ mœnia carpere iter.
Ni spes nos ingens implesset, ibi affore sedem
  Virtuti, neq; non præmia digna, tuæ.
Nempe ubi tam magnus Patruus te ditet, & ornet,
  Sis mox unde decus, præsidiumq; bonis.
Ast ego Daphniolæ duros meditabor Amores,
  Quantaq; me cruciet sollicitudo canam,
O animæ scintillæ oculi mea uulnera dulces
  Marmorei o uultus insidiose colos
Vt mihi sæpe necis uotum mouistis acerbæ
  Cum nequam tanti ferre laboris onus.
Quando meam unius nil curas lenta salutem
  Sed potius longo fers alimenta malo.
Olim homines longum docuit tarquere Perillus;
  Nomen, & ante omnes hinc feritatis habet.

Ille hominum nulla neq; ui, neq; fraude petitus
Maiorum placidis oßibus, atq; animis,
Sponte malus miseris cladem mortalibus illam
Instruxit, dirum cum fabrefecit opus,
Horruit immanis perculso corde Tyrannus,
Crimine in alterius dum sua probra uidet.
Horruit, at quisquam se ne crudelior esset,
Artificem iußit arte perire sua.
Ah tibi non fuerit pulchræ tam dira uoluptas,
Illectent ue oculos improba facta tuos.
Molliat, o, durum facilis clementia pectus,
Nam placidum pectus forma uenusta decet.
Scilicet extinguas uno miserum precor ictu,
Vt cadit ante aras Bos iugulata sacras.
Vel cito depulsis tenebris, & nocte, serenum
Redde diem, & longas deniq; tolle moras.
Si Tytium nequeas ab edaci uulture tutum
Reddere, ut extinguas promereare decus.
Sic aquilis alium damnatum in sæcula, siquis
Interimat clemens ille erit, ille pius.

Amorem occultandum non esse, Ad Ioannem Sichæum Serauallen.

ERgo ego sic moriar, pudeat quod honesta fateri
Vulnera; quæ in medio pectore fecit Amor.
Cur me olim aduersa confossum cuspide uictum
Dißimulem tanto bella gerente Deo?

Nonne aliquid Sichæe putas, aut acris Achillei,
Aut magni Aeneæ quem cecidisse manu?
Quamquam ego non telis, non uulnere saucius ullo,
Sed rapido tactus fulmine conciderim.
Quod turres, montesq; crepat, quod deijcit altis
Saxa iugis, imum perpenetratq; solum.
Vsq; adeo exarsit per totas flamma medullas;
Tam subito acta uelut turbine mens abijt.
Et merito, quoniam dum temno uilia, meme
Ausus ad usq; apicem tollere Pyramidum
Iussit Amor petere alta, calor iuuenalis adegit;
Hæc sine mente ætas est, sine mente & Amor.
Non Phœdra Hippolitum, non se Narcisus amasset,
Mente aliqua insanus si ualuisset Amor.
Qui reget incertum certa ratione furorem,
Exiguo Pelagus comprimet omne cado.
An nos egelidam ætatem Canosq; moremur.
Non aptasq; illo tempore delicias,
Cur proprium tenero uereamur tempus Amori
Tradere, nam teneri tempus Amoris adest.
Te tabulæ bis sex, Patrum & consulta iuuabunt,
Me iuuet in Domina sollicitum esse mea.
Pace tua, medio te nunc sermone relinquam,
Remq; meam ore meo, sim uel ineptus agam.
Daphnia si cunctis una es prælata puellis,
Iudicioq; uiges aurea facta meo
Te rogo, dum tenera es, dum morum ignara malorum,
Dum tua simplicitas, mensq; sine arte placet.

Hortor ames, hortor fidum amplectaris amorem,
Dum ualet, & lepidis mens calet apta iocis
Quattuor, ut Mater memorat, modo lustra peregi,
Commodior Veneri non erat ulla dies.
Cum tamen enumero messes iam quattuor, ex quo
Daphnia de facie mors mihi nata tua est,
Nec tibi notus Amor, non ulli adapertus amico,
Non mea non tanti conscia tecta mali.
At satis obticui frustra conatus Amorem
Pellere? pugnando est robur adeptus Amor.
Atq; utinam prudens certamina declinassem,
Cum mihi tam immanis Cestus in ora ruens.
Perstrinxitq; oculos, & tempora contudit; inde
Non oculi, non mens constit ipsa mihi.
Scilicet inuoluisse manus, & brachia Plumbo,
Fortiaq; in nodum lora ligasse nocet,
Et contra obiectasse ferox in uulnera pectus,
Et nimium de me pollicitum esse mihi.
Vos, quibus exemplo miserorum discere cautum est,
Aufugite plumbo hoc implicuisse manus.
Cedite, si contra insultet, pugnamq; lacessat
Sæuus Amor; nulli cedere nouit Amor.
Ast ego cur siluas post pugnam, uti Taurus abiui
Dißimulans tali spicula torta manu,
Multa indignatus meditans noua prælia mecum,
Ferre ignominiam, & dedecus indocilis.
Debueram primis transfixus corda sagittis
Clamare, & medicam poscere blandus opem.

Non autem erumnas imo sub pectore pressas
  Condere, & insanæ ferre alimenta febri,
Debueram fidos paßim perquirere amicos
  Perq; fora expassa ostendere damna manu.
At demens de me tantum mihi credere cepi,
  Dum uolui esse senex ha nimis ante diem;
Et prohibere nouæ uerno ne tempore gemmæ
  Luxuriem paßis frondibus induerent.
Ignarus causam esse mali exitialis apertam,
  Qui clauso perstat pectore tectus Amor.
Antiochus tacito dilexit amore Nouercam
  Dum silet, in morbum decidit ille grauem.
Et moriturus erat, Medici ni sedula docti
  Mens explorasset surgeret unde dolor;
Vnde calor ueniente illa exardesceret, unde
  Cresceret in uenis hac abeunte rigor.
Interit ille silens, Medicus denudat amorem,
  Actum de Puero, si tacuisset erat.
Castoreas hostis quandam populatus Amyclas
  Dicitur, usq; adeo sæpe tacere malum est.
Absit, ego ut sileam uerbosæ ob murmurea famæ
  Perdite amo. hoc norint sæcula, perdite amo.

Ad Octauuium Stephanium Philotinum
De Amoris fuga.

OCtaui eximio tibi iunctus amore salutem
Nuntiat a Veneto littore Pierius

Gaudet & in primis, tibi quod bene contingit, ipse
Qui uedeat sortis damna odiosa suæ
Nil quidquam inuidia affectus; sed lætus, amicis
Quo caret ipse bono cum superesse uidet.
Otia iucundis tibi iuncta laboribus assunt;
Me grauat innumeris cura, laborq; malis.
lorida tu lepores agitas per gramina molles,
Nos salsæ Menis insidiamur aquæ
Tu sonitum salientis aquæ, cantusq; uolucrum
Nos strepitum rauci marmoris accipimus.
Tu modo Castalij sequeris modulamina cœtus
Nos citharæ, & Phœbi ludicra suffugimus,
Rettulit incolumem nobis te nuntius omnis,
Me coquit anxietas mentis & ægra lues.
Causa mali, ut fido uerum fateamur amico,
Daphnia dura nimis, Daphnia acerba nimis.
Quæ nondum curas, nondum miserata labores,
Nundum oculos oculis iungere passa meis.
O quotiens supplex misero deuictus amore
Ad surdas fleui nocte dieq; fores.
Ad mea ne semper uerba excandesceret, olim
Esset, ubi possem dicere, Daphnia amo.
Sic facit ut salsas cogar damnare paludes,
Herbidaq; ad patriæ tendere prata meæ.
Forte fuga instantem, ut Parthi, fallemus amorem,
Aut memorem hac uincam credulitate animum
Vulnera nempe metu sunt tergo accepta minori;
Anteriore solent parte mouere magis.

Quam iuuat admonuisse oculis, quod lædit & angit,
Flamma nocet, te te subtrahe, tutus eris.
Alcidem memorant qua tempestate per oras
Errabat Lybicas, æsti ferumq; solum
Post euicta hominum, & mostrorum terga, colubras
Lerneas, dirum, terrificumq; canem.
Post Taurum, qui terror agris, de littore abactum
Dictæo, & Nemææ prodigium domitum,
Mille alijs toto terrarum ex orbe Trophæis
Insignem, integris Viribus, atq; animis
Tantum unam timuisse feram, uitasseq; pugnam
Conserere, & subitam proripuisse fugam.
Nomen erat Syrtis monstro, quo tetrius ullum
Non tulit ora Mali prodigiosa parens.
Virginea huic facies, pectus, mammæq; decoræ;
Tota anguis relique corpore, tota lues.
Sic lepido illectos uultu fallebat inertes,
Corriperet miseros donec adunca manus.
Demum ita, quos cursu pernici nacta retraxit
Dentibus inuasit, dissecuitq; ferox
At nunquam rationis egens Tirynthius hostem
Vicit; Claua, arcus, tela fuere PEDES.

Ad Hieronymum Aleandrum, ne sit in scriptis tantus obscuritatis Amator.

QVa placidus claram lambit Liquetia motam,
Lætaq; fæcundam iugera pascit humum,

Stant ueteres monumenta domus, uestigia tantum
Magni operis, thermas, siue theatra putes.
Non oleæ, non glandis erat, non fertilis uuæ,
Glarea, odoratis nec satis apta rosis.
Lentiscus tantum Tophis innata tenebat
Lumina, perpetuis læta uirens folijs,
Esse diu molem Agricola indignatus inertem,
Quem bene uersati gloria tangit agri,
Hanc ruit, & sulcum saxis infindit apertis,
Asperaq; aßiduo tesqua labore polit;
Dumq; opus urguet agens ualidum per rudus aratrum
Affulxit moto gemma reperta loco.
Gemma antiqua, suo longe preciosa nitore,
Pluribus in uario scalpta colore notis.
Quem dedit alma parens ars ingeniosa nitorem
Auxit, mirandum tam bene fecit opus.
Talem aiunt celebrem Pyrrhi senioris achatem,
Esse ue opus Chromij, Pyrgotelis ue manum.
Sculptor at inuidit Venturo Aegyptius æuo;
Qui super inducto uelo amiciuit opus.
Cernere uti nequeant insint quæ signa lapillo
Qui numerant siculo punica uela iugo.
Ars tamen artificis non intellecta probatur;
Quidq; amet ignarus quisq; opus illud amat.
At dolor affligit multorum pectora acerbus:
Qui ueterum docto lumine signa legunt.
Cum nequeant monumenta manus tam rara peritæ
Cernere, & aspectu liberiore frui.

Ille solum damnat, quo gemma effossa refulxit;
Ingenium hic rigidi deuouet artificis.
Ecce tui quæ sunt generis dispendia uates;
Detrahat ut Patriæ gemma ita pulchra tuæ.
Quare age summoto culti uelamine signi
Fer Patriæ optatam Docte Aleander opem.

Ad Romulum Amasæum. Ruris solitudinem Prodesse nihil animo Amore perdito.

ECquid in Adriacis mea Daphnia cogitat undis,
Dum malegrata suus rura Poeta colit.
Dum Pataui serpunt contagia dira per urbem;
Dum fugiunt omnes, dum sibi quisq; cauet.
Me miserum fugisse luem, pestemq; putabo
Sæuiat in uenis cum mihi pestis atrox.
Scilicet affectis potero hanc auellere membris,
Scilicet, & tanti dememinisse mali.
Quod modo me Arquatum, modo me Bocconia rura
Accipiant, Aponi uel bona fontis aqua.
Venandi illectum studio, si spicula Amoris
Excußisse ægro pectore forte queam.
Accipiter comes est leua gestatus in ulna
Quasq; trahit geminas copula longa canes.
Callida per segetes Perdix irrepit, & herbas,
Pictaq; se condit Phasis, inersq; Lepus.
Sed mihi nec Perdix curæ est, neq; Phasidos ales,
Qui'ue hæc occurrat per loca sola Lepus.

Daphnia sed quid agat, quid de me forte loquatur;
Nam solita est de me plurima sæpe loqui.
Nunquid me alterius flamma incaluisse ueretur,
Et dolet? esse mihi credula molle iecur.
An nostri oblita est? si nostri oblita, quid illa?
Ardere externo nunquid amore parat?
Ah nil tale animum subeat, quod lædat amantes;
Qui tanta unanimes se pietate colunt.
Nam potius nostro disrumpitur ægra dolore;
Quæ sciat absenti nil fore dulce mihi.
Nouit enim absentis mea corda liquescere, ut alto
Sole liquent ceræ, sal latice, igne Niues.
Illa meas sentit curas, acrisq; dolores,
Forsitan & lacrymas uicerit illa meas.
Cur amo tam misere, & misere contingit amari.
O utinam non tam mutuus esset Amor.
Non ego nunc duplici fœdarem pectora luctu;
Illaq; non duplici mœsta dolore foret.
Penelopen non tam cruciat direpta supellex;
Quam desiderium, curaq;, amorq; uiri.
Nec tam erumnosum fecit Polyphemus Vlyssem,
Aut ferus Hippotades, aut rapida unda maris;
Nec Circe, nec Scylla ferox, nec uasta Carybdis
Quam dolor, atq; metus Penelopea tui.
O genus inuisum Dijs, o fata impia amantum;
Quos etiam in scopulos aura secunda ferat.
Si quis amat frustra, nunquam requiescit, iniquum
Conqueritur Sidus, conqueriturq; Deos;

Se se infelici testatur stamine duci
Se inuisum infernis, Cœlicolisq; animis.
Aspera Parthenij dum culmina montis obiret
Sæpe ita conquestum Milaniona canunt.
Sin quis amat, contraq; simul se noscat amari,
Mæstitiæ gaudet gaudia plena meræ.
Sollicitæ hunc turbant curæ, trepidiq; tumultus,
Aßiduus uana suspitione metus.
Stultus amicorum consortia fida tremescit;
Omniaq; inuiso lumina fert animo.
Quod si nota fides Dominæ nil tale minetur;
Acrius infelix excruciatur amans.
Noui ego quam affligar, quam sint mihi cuncta doloris
Causa, quod illius sit mihi nota fides.
Tuq; etiam hæc nosti totiens solatus amicum
Romule, quem curis deficere usq; uides.
Nec tua me dulcis potuit Facundia docto
Pectore ne crucier uincere, ne ue gemam.
Tristia ne aßidue plorem mea fata, quod illa
Sit procul; & peregre cogar ego ire miser.
Lemnius usq; adeo concordes conflat amantes;
Vnam animam ille Deus corpore utroq; ligat.
Quos quotiens latum discedere contigit unguem,
Albanæ subeunt funera amara rotæ.
Semianimesq; abeunt dissecto corde; dolentq;
Flebiliter semper non simul esse datum.
Sic fleo, sicq; procul mea sors flet Daphnia mecum,
Dum lateo siluis, dum latet illa mari.

Quid mihi, quid siluæ, nemorum quid amœna uirentum
Culmina, & argutæ demeruistis aues?
Quod gelidi fontes, quod flumina pura leuamen
Limpidulis unquam contribuistis aquis?
Quin quo plura meo sunt blandimenta dolori,
Hoc magis affectum pectus acerbat amor.
Dulcia ut oderunt ægroti pocula, nobis
Inuisum est quidquid rura leporis habent.
Nil, nil dulce mihi, adfluerit nisi Daphnia mecum,
Daphnia lætitiæ causa, modusq; meæ.

Ioannem Franc. Albinum impatienter
Amantem consolatur.

NEmo igitur felix, felices mille, sed unus
Nemo sua felix uiuere sorte putat.
Scilicet aut cuiuis hominum se nosse negatum est,
Aut sic inuidiæ spicula iniqua cauent.
Aut, quia nil superis uellent debere, superbi
Dissimulant faciles in sua uota Deos.
Qualem se miserum Albinus clamore molesto
Prædicat, & totos fletq;, doletq; dies.
Albinus, quo non alius festiuior inter
Conuiuas Phœbi, Castaliosq; Choros.
Omnibus acceptus, gratissimus omnibus, idem
Doctrina, ingenio, pectore, mente potens.
Felix cur igitur miserum se fingat, amorem
Durum ait, & tantis dotibus oppositum.

Ergo Amor est tam grande malum, ut felicia cuncta
Subruat, atque ubi sit, nil uelit esse boni?
Contra ego mi felix uideor, quod amen, nec amari
Certus, habent precium quod benefacta suum.
Nam modo quod uirides peragrat mea Daphnia campos
Dum sequitur lepores, cornifidumue pecus,
Spicula, quæ adducto gaudet contendere neruo
Si non in Ceruos in mea corda cadunt.
Viscato Volucres dum fallit uimine pictas,
Si minus has, saltem pectora nostra capit,
Interdum lenta fugiunt ab harundine pisces
Et risu damnat brachia lenta leui.
At mea non fugiunt hamo præfixa tenaci
Ora, nec affectant quærere capta dolos.
Capreoli uinclis nunc illaqueantur apertis
Nunc cautas uitat præda cupita plagas.
Ipse cupidineis deprensus cassibus ultro
Implicor, & nulla mollior arte fugam.
Gaudeo quin, animi tanta est patientia nostri,
Inuia mancipium uile per arua trahi.
Quasq; adamanteas collo dat ferre catenas
Credo monile rosis molle Cytheriacis;
Quas manibus uincit manicas corallia duco
Ferre puer cunis qualia suetus eram.
Quas pedibus iungit pedicas reor esse corollas,
Queis iuuenes ornant rustica templa pij,
Vndiq; quod lassum me plurima retia cingant,
Obrutus in densis floribus esse puto.

Vsq; adeo mihi dulcis amor confingitur omnis.
Et summum innocua simplicitate bonum.
Quod si in parte mali tenerum statuamus amorem;
Certe odium stabit sub ratione boni.
Ast odium nulli non euitabile Virus.
Sit procul o Stygij gurgitis atra lues.
Mel sit amor, nectarq; merum, immoritura uoluptas;
Quam superi, quam omnis terraq́;, & unda petunt.
Ipse age Timotheus felix te te instruat, ut qui
Tunc uidit uersis omnia abire rotis.
Cum sibi Fortunam adpingi stomachatus amicam
Res gerere, & tutam dirigere arte ratem.
Oppidaq́;, & stratos hostes, totosq; triumphos
In nassam nullo sæpe labore trahi.
Illum autem somno fusum pressa aure quietem
Carpere, & in molli membra fouere toro.
At Nemesis contra merito indignata proteruum
Expulit, & tantis iußit abire bonis.
Ergo factus inops, factus miserabilis hosti,
Qui socio felix non tulit esse Deo.
Proinde Albine tua iactes te sorte beatum,
Difficilis quamuis sit tibi solus Amor,
Nam bona cuncta Dei uendunt mercede laborum,
Quorum ope Dijs geniti regna beata tenent.
Improbitas mortalem hominem immortalibus ipsis
Aequari; solos quos fouet alma quies.
Rex Amasis, Rex idem hominum, Aegyptiq; Sacerdos
Pollicratem in socijs noluit esse suis.

Quod nullis unquam Fortunæ casibus ictus
  Vitam ageret tutam, Cælitibusq; parem.
Cui nihil in uita acciderit, quod læderet, ille
  Sit procul à nostra prorsus amicitia.

Ad Antonium Marsilium super Zelotypia.

GRatia multa tibi, quianam succurris amico
  Marsily rerum cognitione sagax.
Marsily, cuius prudentia summa, fidesq;
  Nota mihi, a teneris unguibus usq; uiget.
Quo mihi non alius studio maiore probandus
  Continuet ueræ fœdus amicitiæ.
Ergo mones, tantum ut poßim perferre dolorem
  Fidere, fors quod erit crastina lux melior.
Ne miserum aßiduo pectus mærore fatigem;
  Ne lacerem uana suspitione iecur.
Ne uerear; quoniam Venetis mea Daphnia in undis
  Otia agit, dum me rura odiosa tenent,
Ne mutata meos obliuiscatur amores,
  Atq; aliò mentem uerterit instabilem
Quàm uereor, ne claustra labent concussa frequenter;
  Ne procul excludar, cogor ut esse procul.
Dum procul arma gerit populorum ductor Atrides
  Vxor in Aegisti ludit amata sinu.
Hei mihi difficile est posito custode cauere,
  Ne quæuis peccet fæmina molle genus.

Quid faciat, quæ sola cubat, quæ libera degit,
Incustoditis nocte, dieq; feris?
Dißimile inter eas nihil est reperire; lucernam
Sustuleris, mulier quæq; futura eadem.
Et ueluti ramosa salix, nisi sæpe recisis
Comprimitur ramis, silua fit usq; ferax.
Sic Mulier, nisi continuis cohibetur habenis,
Quaqua oculos uertit, quo rapiatur habet.
At bona Parthenope]turbam auersata petulcam,
Præstantisq; uiros, Methiocumq́; procum.
Sponte suas abcisa comas decora aurea frontis
Sustulit, & uerso uixit honesta solo.
Atq; alia insanos fugiens Minois amores
In rapidas sese præcipitauit aquas.
Quæ merito Ideas mox Dictinæa per urbes
Fertur, & Aeginæ gentibus alma Dea est.
Qualis at Aßyriæ memoratur fama Sinopes;
Quæ cupidum cauta luserit arte Iouem.
Ille quidem postquam precibus nil proficit, addit
Munera; & ad trepidam talia blandus ait,
O felix una ante alias pulcherrima Virgo
Si tibi amatorem noueris esse Deum.
Nempe Deum qui magna dabit, ni magna recuses
Poscere; & accipies. Tu modo magna petas.
Prensa erat, & dextræ prensantis robora sentit.
Quid faceret contra capta puella Iouem?
Pollicita obsequium est, donum si Iuppiter unum,
Cedere per Stygias polliceatur aquas.

Iurat Is, & Stygijs cœlum & mare deuouet undis,
Tantus amor mentem, tanta Cupido rapit.
Non illa armillas, non illa monilia poſcit.
Da donum intactæ Virginitatis ait.
Iuppiter ipſe ſuo iam tactus fulmine, palmam
Ceßit, & integra Virgine uictus abit.
Hei mihi non fuerint hæc noſtro exempla ſub axe;
Sed minimo quæuis impete lapſa cadit.

Super Zelotypia Iterum Ad
Medoacum Flu.

CVi potius quæram tacitos aperire dolores,
Fundere cui lachrymas quam Medoace tibi?
Quando aliud miſeri maius ſolamen amoris
Afflicto nullum Fata dedere animo.
Nam qui occluſus erat ima in præcordia mœror
Soluitur; hæc feßis mentibus una quies.
Sicq; diem, & totam mecum in ſuſpiria noctem
Ducere ſæpe Tryphon, Lampridiusq; ſolent.
O quales animæ, quam candida pectora, quorum
Victura Phœbus tempora fronde liget.
Quos modo ſors eadem placito diſiunxit amori,
Atq; adeo in ſolos dura relegat agros.
Et modo Baſſani per culmina celſa fatigat;
Si labor ullam ægris mentibus addat opem.
Nunc autem in latas campis arentibus oras
Auocat, inq; tuas ſæpe remittit aquas.

Ad Capiuaccei Tauletia compita Pauli,
    Quæ uicina tibi me coluisse iuuat.
Quodsi nemo aßit, surdis concredimus auris
    Ista, uel in fossa contumulamus humo.
At simulac ripis laceri deflemus in istis
    Tu quoq; fles, nostris consona uerba gemens.
Nam quotiens curis domiti clamauimus HEV HEV,
    HEV HEV uisa mihi ripa recurua queri.
DVRVS AMOR dixi, iam tecum multa loquutus,
    Vox audita tua est ultima, DVRVS AMOR.
Sic muscosa meas repetit dum ripa querelas
    Turtur in hoc mecum cespite sola gemit.
Atq; aliæ flenti mœstæ assedere uolucres
    Orba Itylo Progne, cassa Columba uiro.
Quin etiam frondes quamplurima Populus altas
    Decutit, ah mecum scindere uisa comas.
Tu lacrymis, uti fonte nouo turgescis adepto;
    Quæ ueniente die, quæq; abeunte fluunt.
Præterea nobis taciturna silentia præstas
    Sæpius expertus tu quoq; amoris onus.
Lucia Fossa tuas nondum ablegauerat undas,
    Qua iacet in uenetis Insula multa uadis,
Cum tu fluctisono fugientes æquore Nymphas
    Suadebas tuto delituisse Sinu.
Et paßim per stagna uagis in amoribus ampla
    Carpere harundineis dulcia furta toris.
Ast alio postquam iussus deflectere cursum;
    Nec semel oppositis clausus es obijcibus.

Hic ubi portus, adhuc graio quem nomine dicunt
Limena, id Herculeæ nobilitatis opus.
Acrius in uetitum nixus tua iura reposcens
Indignatus aquas congeris amne tuas.
Vt tu altis tunc exsuperas plenssimus undis
Diluuiem ut lætis tunc minitaris agris.
Decrescensq; furis triplicis trans aggeris oras
Euganeæ sternens fluctibus omne solum.
Antiquam & repetis sedem miratus ab altis
Fluctibus ætherias prosilijsse domos.
Quas dum flexiuagi Mæandri more perambis
Est tibi delicias cura nouare tuas.
Hic quoq; nostra moram nunc cessat Daphnia longam
Daphnia iam multis sollicitata procis.
Nempe proba, nisi tot laqueis peteretur amantum
Totq; hamos si non esca dolosa tegat.
Quæ durare queat tantis decertat amator
Blanditijs, Donis, ui, feritate, Minis.
Obstitit illecebris Lucretia, uicta timore est,
Vi steterat, uicta est munere Callirhoe,
Verum Hecate, illa olim Fauno dilecta parenti;
Indomitam incestus quam temerauit amor
Blanditijs primum, sed quas ea repulit; inde
Fraude meri, epoto restitit illa mero.
Mox & acidaliæ Myrti concisa flagellis
Intactum obtinuit dilacerata decus.
Bile tumet Faunus, nares corrugat, & æstu
Vritur & temni iussa paterna furit.

Nil intentatum certus dimittere, ad artes
  Addere uim, facit hoc cæca libido, parat.
Induit ergo anguem, gnatamq; amplectitur; ipso
  A capite usq; pedes mille uoluminibus.
Illa pauens colubro totas implexa per artus
  Nil habet, unde unguem proferat e laqueis.
Victa ita Vesani expleuit genitoris amores,
  Victa, sed incolumi clara pudore uiget.

Ad Antonium Thebaldeum Ferrariensem
Duritia seruitutis.

ANtoni Aonidum dulcißima cura Sororum
  Siue latina canis, seu populi ore places.
Ecqua in amore tibi spirat nunc aura, secundis
  Vela notis imples, & uada tuta secas?
An feriunt aduersa, quod absit, & in mea torques
  Saxa ratem; quo me turbo repente tulit.
Qui tibi tunc felix nimium, optatoq; uidebar
  Tranquillum læta scindere puppe salum.
Quod me affata semel tam blando arriserat ore
  Daphnia, quod numeros uisa probare meos.
Quod mihi fasciculum uiolarum admouerat ori
  Basia porrectis quod dederam manibus
O audax anima, o mens cæca, o pectora amantum
  Insana, o uotis credula corda nimis.
Aethereas tali exultabat mente per auras
  Dædalides nondum Sole furente puer.

Vt mihi felicem spondebam in sæcula uitam
Principibus similem, cælitibusq; parem
Nec tolerare ullam duro pro limine noctem
Fingebam, aut longæ tedia ferre uiæ.
Et nisi libera sit uitæ permissa facultas,
Sperabam effugio consuluisse mihi.
Nunc discam timuisse minas, tolerare labores,
Riuali admisso qui dolor esse queat.
Quàm cito transmutet uultum Fortuna serenum
Et mala placatis quæ metuenda fretis.
Atq; ita nunc, qui sceptra prius, celebresq; triumphos
Concipiebam animo, Pyramidumq; decus.
Et statuas, & celsa meis fastigia iustis,
Aspicio uersis omnia abire rotis.
Hæc eadem numeris memini te pangere cultis
Thraicia hæc eadem concinuisse Lyra.
Ianua clausa tibi fuerat; nec dona, precesq;
Mollierant surdas robora dura fores,
Vt primum Nerui blandam Insonuere querelam,
Iam nullum ingenuis artibus esse locum
Officiumq; ; fidemq; primi, se attollere fraudes;
Hac nihil esse, bonus cur uelis esse, die.
Dissiliere fores, & procubuere repente
Ipsa tibi excussis robora cardinibus.
Verum ego cum gemerem, & questu cœlum omne replerē,
Nulla meas intro detulit aura preces
At cum me illexit nitidis malus error ocellis,
Nec dum erat illa malæ obnoxia perfidiæ

Illi ego gemma micans, illi aurum, illi unus amomum
Præ me ſordebant India, Bactra, tagus.
Omnia ſolus eram, neq; me quid carius uno,
Melle ego, nectare ego, uita ego amabilior.
Vix digitum admoram, & penetralia cuncta patebant;
At mihi tunc magno uel Ioue maior eram.
Quam ſubito in pharium muſtum hoc mutauit acetum
Et quam præcipiti ſpes mea rapta noto eſt.
I modo finge tibi felicem in ſæcula uitam
Et faciles manibus prendere poſſe Deos.
Cum ſublapſa ruant retro ſic omnia, & omnis
Tam temere infido ſpes in amore fluat.

Supplicatio.

Dii, qui animam hanc tanta uoluiſtis laude decoram
Vt Diuum, an noſtrum ſit genus ambigerem,
Illam autem propria fortem uirtute, ſuarum
Tot ſibi conſciam opum, cætera diſpicere.
Meq;, quod inſano nullus modus aſsit amori,
Non ferat ante ſuos procubuiſſe pedes,
Non iam oro ardorem minui mihi; creſcat in horas
Ardor, ero felix, maior ut ardor erit.
Sed tenebras quæſo noſtris obducite flammis,
Ne penitus tota de facie emineant.
Et decuplum magis urar; at illa ignara quieſcat;
Quando adeo indigne fert, quod amanda adeo eſt.

De Corona Pudicitiæ Ad Iacobum Sadoletum.

QVis mihi de castis dabit Inclyta serta Poetis?
Nam nihil ad populum gloria tanta rudem,
Vicimus, & duras amor en demollijt aures,
Omnis Io Dominæ copia facta mihi.
Sola mihi soli tandem concredita amica est
Quæ tam aduersa diu tamq; inimica fuit.
Illa inquam assiduis longum expugnata querelis
Iuit in amplexus rara puella meos.
Vicimus. ast animos, rabidæq; libidinis æstus
Vici ego, sed pugnam uicit & illa meam.
Illa pudicitiæ specimen Sanctißima Virgo,
Quæ sunt, quæ fuerunt anteferenda probis.
Iam iam cede, potes Cribro quæ sistere Lymphas
Tuq; tua raptum quæ decus ulta manu es.
Atq; aliæ quas fama uetus cœlo extulit, & quas
Posteritas titulis non tacitura colit.
Vos ea facta probent, probet hanc facundia, firmum
Propositum, & certæ Virginitatis amor,
Vt taceam quali prudens ratione docebat,
Nullum aliud præter, fasq;, Piumq;, Bonum
Ante oculos geminas dicebat siste Sorores,
Quales, si compos mentis es, esse uelis.
Quod si me tanto uere amplexaris amore,
Carior ut tibi sim uita, oculisq; tuis

Cur periјſſe uelis, cur uitæ perdere fructum;
Nam ſatius fuerit, ni proba uita, mori.
Quin potius iugulum orabat, uel colla ſecarem,
Si pergam omnino uincere, certa mori.
Nec ſibi opus flammis, uel ferro abrumpere uitam;
Pro ferro, & flammis cui ſatis ipſe dolor;
At mihi perpetuum e ſcelere hoc reſtare furorem,
Et breue, quod tantum crediderim eſſe bonum.
Quid facerem? ardentem ſtimulis furor acer agebat;
Frenabat pietas, ingenuusq; pudor.
Nec ſimulata, oculis quæ large eruperat hudis,
Quem non extinxet protinus unda rogum
Quæſitum ſed enim diuturno tempore donum,
Quod teneas, durum mittere de manibus.
Quæ ſolet abſentes etiam inflammare libido,
Non magis, atq; magis concitet ante oculos?
Non aberant Vires, non arma, Animusq;, Locusq;,
Omnia erant pugnæ commoda, & apta meæ.
Et tamen abiectis pacem conceſsimns armis.
Vincere, qui uolui meq;, animosq; meos.
Non fortis qui dura facit, qui proterit omnes,
Sed qui, cum poſsit uincere, ſe cohibet.
Et timeam currum, & meritum affectare Triumphum?
Fundereq; in titulos æra liquata meos?
In quibus hic titulus, ſi mens mihi conſcia recti,
Pierij æternet nomen, & acta notet.
Fortunæ eſt, alios uiciſſe, Vrbesq; ſuperbas
Subieciſſe; ipſum me ſuperaſſe, meum eſt.

Hoc sat erit, quid enim sat erit? num gloria forsan
Talis in ignauis mentibus esse solet?
Cedite Romanæ iam dudum cedite Laudes,
Siue prior Cæsar, siue Camillus erat.
Tu quoq; tam indomitæ uictor clarißime gentis
Scipio uix tanto dignus honore uenis.
Quamuis formosam renuas spectare puellam,
Vidi ego, complexu continuiq; meo.
Intactamq; libens, quod erat mihi cura pudoris
Seruaui, o faciant tam proba facta fidem.
Vsq; adeo ueros soli exercemus amores,
Vsq; adeo didici primus amare hominum.
O ego ter felix tali dignatus amore,
Qualis adhuc nullo tempore Visus Amor.
O Decus, o fama ingens, o proba Virgo pudico
Nomine temporibus gloria rara meis.
Quas tibi, quas tali reddam pro nomine laudes?
Debentur titulis marmora quanta tuis?
Quos tu autem contra decernes, quos mihi honores;
Quo certante tua est salua pudicitia?
Sed piger Aedilis cessas, nimis inuide cessas
Rite triumphales cingere fronde comas.
Sunt ubi qui ad templum Vestæ comitentur ouantem
Prætendantq; manu Lintea, Frena, iugum.
Sunt ubi gratantum cunei, Turmæq; frequentes;
Quæ mihi dent plausum per fora, perq; uias.
Quæ crines, quæq; ora tegant pro pectore, ad imos
Vsq; pedes, longoq; ordine sacra ferant.

Verum ego uos indocta cohors, uulgusq́; malignum
Nil moror, & ueſtras odimus uſq; manus.
Ite procul, locus hic tantum Doctisq́;, Probisq́;
Sit procul a caſto turba proterua Choro.
Tu SADOLETE igitur Pater optime, & optime Vates;
Candidior quo non hactenus ullus eat;
Te quamuis gemini Fulgoſæ ſtirpis Alumni
Detineant, tanto quos pius ore ſonas.
Seu te Laocoon, ſeu Curtius attrahit ardens,
Pro patria oppetere promptus uterq́; ſua,
Siue hominem ſe noſſe doces, & cernere rerum
Finem, admirando Viuidus eloquio.
Eſſe uiam ut detur felici cuilibet eſſe,
Firmam in perpetuo mentem habuiſſe bono.
Siue paras animos reſides incendere Regum.
Ingenij ſpargens lumina clara tui.
Pro pietate ut opus magnum, & memorabile cuncti
Aggrediantur, & ad Boſphoron arma ferant.
Regna recepturi Scythicis opreſſa Tyrannis.
Atq; Aſiam, & Solymos, Iſiacamq́; Pharon.
His tu adeo modonum poſitis pro tempore curis
Reſpice me, ſi te iudice digna peto;
Vnus inaudita merui ſi laude coronam,
Circumagedum manibus ducta ſit illa tuis.
Siue amerina Salix, ſeu caſtæ uincula Lauri,
Seu tibi Nymphea gramina, flos ue placent.
Sic tua uota olim cœlo miſeratus ab alto
Ingenia, & mores Iuppiter aſpiciat.

Atq; libens uni rerum concedat habenas,
Qui ingenia, & mores pergat amare pios.
Vt tu hic primus eris qui tanti ad Principis aures
Accedas propius, ponderaq; ipsa leues;
Quodq; diu cupida conceptum est mente, parari
Tunc uideas bellum Nobile, nobile opus,
Voce tua incensum, Regum uirtute peractum;
Mox æuum scriptis uiuere in omne tuis.
At mihi de me uno Victoria proroget æuum;
Si faueant factis Fata benigna meis.
Nempe uoluptatem æterna est uicisse uoluptas;
Hæc manet, & nullo tempore
uicta cadit.

PIERII VALERIANI BOLZANII AMORVM.

LIBER TERTIVS.

AD ILLVSTRISS. HERCVLEM CONSAGAM. MANTVANI PRINC. F.





Actenus obsequio teneri detentus Amoris
Visus eram partes absolui'sse meas,
Nequitiæ satis esse datum; & iam maius honestæ
Famæ actus stimulis aggrediebar opus.
Scilicet hinc sperans o Manthus clara propago
Iudicio laudem promeruisse tuo;
Quem puerum superas Sapientia ducit ad arces,
Ante annos ausum munera adire senum.
Bella ergo, & Regum orsus eram monumenta potentum,
Non tamen antiquis illa petita ab auis,
Ante oculos sed gesta meos. Vt colla rebelles
Barbarico Ausonij supposuere iugo;
Vtq; inde indoluit, Venetisq; in fœdera iunctis
Italiæ totæ conglomerantur opes.
Carolus & Galli gens bello animosa coacti
Fusa Bianoreo uertere terga Duci.

Cincta erat admotis populosa Nouaria castris;
Mœnia Gallus, agrum cæperat Italia.
Hinc atq; hinc odijs decertabatur iniquis;
Obsidione intus, seditione foris.
Stabat & Herculei rupes inuicta Tarenti,
In Patris illa manus iam reditura tui,
Strataq; per campos Gallorum corpora passim,
Et multo Lyris sanguine tinctus erat.
Addua mox Venetum tot millia uoluerat alueo;
Tot subito in trepidam millia lapsa fugam.
Tota inde Euganeæ facies miserabilis, urbes
Incensæ, omnis ager præda, mare omne cruor.
Talia semotis mecum meditabar in umbris;
Visa erat & numeris Musa fauere meis.
Venit Amor, Musis ut erat Comes. arcus, & alæ,
Et pharetra hos uultus exhibuere Dei.
Atq; ait. Insano cur inuigilare labori
Te iuuat, & præter fata ciere necem.
Apta manus gladio non est tua; nec caput aptum
Et galeæ, Thorax nec tua membra decet.
Quid tibi cum lituis igitur? quid classica tentas,
Horrendasq; acies, terribilesq; tubas.
Cautius ah quanto est placidæ indulgere choreæ,
Nostra sequi nullo castra agitata metu;
In quibus a teneris cum laude exercitus annis
Inter amatores non leue nomen habes.
Quare age deposita Lauro, quam Quercus obumbrat,
Infer Acidalie myrtea serta comæ.

Sic Amphionias canerent quæ carmina Thebas
 Ponticus abiecit lene ſecutus opus.
Tamq; diu ſolitus Rhallus uerſare Platonem,
 In tenero, & molli Carmine conſenuit.
Huic ego. Parce puer. tibi enim tua tempora ſunto,
 Fert alios mores longe aliena Dies.
Ah terquinq; ſatis fuerit fleuiſſe per annos;
 Dum nihil Imperio durius uſq; tuo.
Vix tria Phœbei ſuperarant luſtra iugales,
 Caſtra ſequens ultro cum tibi Miles eram.
Quid tamen inde tuli? quæ noſtro digna labore
 Gratia? par animis, officijſq; meis.
Magnis ergo malis moniti meliora ſequemur;
 Fert animus fortes nunc celebrare VIROS
Mutua ſunt laudare probos, feciſſe probanda;
 Carmine res uiuunt, carmina rebus egent.
Magna etiam uirtus, niſi ſit celebrata, fatiſcit;
 Lychnus ut obſcuras ſæpe abit in tenebras.
Neſtora, Peliden, Sarpedona nulla per aures
 Fama ferat; Vatum uox niſi magna ferat.
Facta etenim admiſſis fulgent ſpecioſa Camœnis
 Diuite quantum auri fulgor in æde micat
Quærimus æterno uicturam carmine famam;
 Materia e clara nobile ſurgit opus.
Talia deriſit Veneris laſciuus alumnus
 Gnoſiaq; intendens ſpicula toruus ait.
Si tibi tantus amor pugnæ, cædiſq; uoluptas,
 Diſce prius qua ſint bella gerenda manu.

Dixerat & Tenues allapsa sagitta per auras
Immensum hamata cuspide uulnus agit,
Perq́; oculos immissa imi in penetralia cordis
Transiit, & medium uisa secare iecur.
Decidit ille uigens animo tum spiritus acri
Et genua, & gemini contremuere pedes.
Inde animo elapsi Reges, & regia facta;
Blanditiæq́; omnes arripuere locum.
Cedite iam litui, fera cedite claßica, poscit
Iure sibi molles blanda Elegia iocos.
Pace tua generose Puer mihi cedere detur
Imperio magni numinis, atq́; feri.
Nec mihi dedecori dederis, si humana professum,
Omnia qui uincit, me quoq́;
uincat Amor.

Orphei Prosopopeia post iterum amissam
Eurydicem. Statua eius a Iulio Card.
Medice in subdiali Aedium suarum
aula Florentiæ dedicata.

Ad Petrum Victorium Florent.

Victori dum tu magni Ciceronis acumen
Pendis, & eloquij fulgura clara notas,
Sexcentisq́; locis uitiata uolumina paßim
Restituis fidei, munditiæq́; suæ;
Me Caiana tenet secessu Villa beato;
Sunt data ubi studijs otia larga meis.

Hic procul a turba, plateisq; loquacibus altum
  Dormio, & euigilo, tempore utrumq; suo.
Verum hodie fuerim ne uigil, somno ue quierim
  Difficile in tantis dicere imaginibus.
Nam mihi Thraicius miseranda fronte Sacerdos
  Ante oculos uere uisus adesse meos.
Dextra habuit plectrum, citharam manus altera; quale
  Marmor habet medium Mediceæ aula Domus.
Sed non qui traheret siluas, qui sisteret amnes,
  Sisteret aut Volucres, saxa moueret, erat.
Non Lauro insignis, non longa in ueste decorus,
  Non hilaris uultus, non facies alacris.
Omnia luctus erant. fletum & suspiria sensi,
  Cum gemeret mœstis talia uerba modis.
Te ne ego te amisi Eurydice mea sola uoluptas,
  Et potui ad Solis triste redire iubar?
Quam licuit manibus Furiarum auellere iniquis,
  Non licuit oculis abstinuisse meis.
Ne Manis iterum immanes mea uita uideres,
  Atq; ego causa tui dicerer interitus.
Siccine, sic dulcis Coniux mihi rursus adempta es?
  Irrita sic Stygij dona fuere Iouis?
Atq; ego nunc uiuam sine te miserabilis. heu ue
  Tu sine me infelix regna inamœna coles?
Rapta per & tenebras Orci, & loca plena timoris;
  Et misera ad sæui Regis ades solium.
Clamoresq; illos sentis, & iurgia, & ægra
  Tot lamenta, iras, & genitum, & rabiem.

Heu ubi Tisiphone aßiduis furibunda flagellis
  Obstrepit, & colubris uerbera sæua quatit.
Quæ rabidos torua in te etiam fors erigit angues,
  Fronte minax, diris horrida luminibus.
Tu trepidas, trepidant omnes, pauor occupat omnes,
  Quisquis ad horrendi iudicis ora uenit.
Quis queat, heu, firmo Rhadamanthum pectore atrocem
  Contrastare, Deum sit licet ille genus?
Quis queat intrepidus Dirarum cernere uultus,
  Anguicomos uultus. sanguineasq; manus?
Vidi ego, uti quemquam uerbis Rhadamanthus amaris
  Castigatum iræ traheret Eumenidum.
Vt perculsa metu, ut Gelido externata pauore
  Tu quoq; tu mea lux perdita deficeres.
Vidi Tisiphonem, multos cum cederet, & iam
  Iussa flagellasset crimina uerberibus,
Indignantem animis in te fera lumina dirum
  Torquere, atq; altum protinus ingemere,
Quod tu sola fores tantis exempta periclis,
  Sæuire in faciem non licuisse tuam.
Nam uati bene iuncta tuo, & mihi credita soli
  Vitarasq; minas, propulerasq; metus.
Et fidibus asserta meis Parnasia mecum
  Templa reuisebas, Pieriamq; domum.
Cum te fata atris iterum inuoluere tenebris,
  Et ceptam ad superos impediere uiam.
O me infelicem Eurydice sic rapta iacebis
  His immersa malis, atq; ero liber ego?

Liber ego. & tantis fueris tu obiecta periclis?
Liber ego, ipsa feris tristibus exposita?
Non ita. Nam pietas in me tua me quoq; poscit
Ingemitum, in lacrymas, in mala cuncta parem.
Nulla dies mihi læta dehinc, neq; clara futura ast;
Nulla uoluptatem causa, locus ue dabit
Non dulcis, uelut ante, chelys, nec amabile plectrum
Musa nihil lepidum personet, ut solita est.
Nullus amor mihi, nullus hymen, Solatia nulla;
Sed peragam in tristi tempora secubitu.
Quid mihi Calliope, quid Apollo, uel hic pater; illa
Sit genetrix; si me tam miserum esse uolunt.
Aeternos cecinisse Deos, Heroas, Amorem
Quid iuuat, ulla ne Dijs gratia, an ullus amor?
Quorsum ego te ætheria radiantem Iuppiter aula
Laudaui; & populos thura darent monui
Quorsum sacra dedi mortalibus obseruanda,
Et cecini Fastos, instituiq; dies.
Si mea nil meruit pietas, si numina uestra
Ingrata, & surdis auribus omnia sunt.
Si mea non potuit reddi sine fraude Marita
Si mihi sunt damno munera uana Deum.
Si mihi nescio quæ nulli obseruanda dederunt
Imperia. Hostis atrox ut fierem ipse mihi
Non crudelis ego, sed Amor crudelis, amassem
Si minus, infelix non erat Eurydice.
Non ego nunc Vatum desolatissimus essem.
Non miser ah tantis immorerer lacrymis.

Non graue in aßiduis agerem mœroribus æuum
  Per nemora, & saltus, per iuga sola uagus.
O quæ saxa meis concentibus eruta ab antris
  In nemora & saltus continuastis iter
Me me agite infestis obtundite molibus, ipsos
  Aut oculos, per quos interij eruite.
O trunci siluarum alti, quercusq;, cupreßiq;
  Incidat in nostrum uestra ruina caput.
O quæcunq; mihi dociles fera præbuit aures
  In me auidos dentes sic meritum exacuant.
Sic tibi, sic dura Eurydice mihi morte litandum est;
  Nec iam tentandi est ulla relicta uia.
Testes impexi crines, promissaq; barba,
  Atq; habitus tantis concolor ipse malis.
Strimoniæ testes mihi ripæ, & Tempea testes,
  Testis silua iugis alta sub Oemoniis
Vsq; ad hyperboreas latices, Tanainq; niualem;
  Qua nondum humano Semita pressa pede.
Quæ totiens miseris mecum ingemuere querelis;
  Respiciunt sed iam Numina nulla pios.

Ad Phil. Beroaldum Iuniorem De
Riualis potentia.

S Scilicet hoc nostris aberat Beroalde querelis
  Riualem ut tanti nominis acciperem.
Ac si pauca octo ingruerint aduersa per annos;
  Non & leua satis numina pertulerim.

Vexatæ Patriæ gemitus, cladesq́; meorum;
Qualia adhuc trepidum cor meminisse pauet.
Vt taceam me me quibus obiectare periclis
Hostica uis strictis ensibus impulerit.
Dum capta incertas Belluno quærere sedes
Cogor, quaq́; offert si uia carpere iter
Euganeos per agros obsessos Cæsaris armis;
Capta per Hadriaci littora cuncta maris.
Romæ autem tractam per mille incommoda uitam,
Per tot amicorum funera nobilium.
Hinc iter extra urbem rigidas me extrusit ad alpes
Addictum magnis, Principibusq́; uiris.
Nec querar hic salebras, & acerbi frigoris ictus;
Sed quæ animum ualeant sternere mille modis.
Attamen erumnas & mille incommoda uitæ,
Quæq; animum ualeant sternere mille modis
Lenibam, quod erat nostri spes magna triumphi;
Quem mihi de Dominæ mente pararet Amor.
Atq; ubi ad optatos possem remeare penates,
Seruitij extaret gratia, honosq́; mei.
Scilicet & molles manibus mulcere capillos
Fingebam,, atq; aures prendere utraq́; manu,
Arbitrioq́; meo cœlum uersare, Deosq́;.
Vsq; adeo in propria re sibi quisq; fauet.
At postquam redij, mutata hæc omnia uidi
Nec mihi congressus hora, locus ue fuit.
Atq; adeo mihi Scena alia est, uersiq́; Tapetes.
Insolitiq́; modi, seruitiumq́; nouum.

Non aliter motas concurrerere ad oscula uidi,
Hinc atq; hinc geminæ si coire rotæ.
Quæ simul ac primis se se tetigere labellis
Pars ea quamprimum, quæ ueniebat, abit;
Fitq; ex congressu facies contraria primæ
Machina uersa meo qualis in igne fuit.
Durando tamen hæc uici, & mihi facta uidendi
Copia; colloquij copia nulla fuit.
Illa quoq; in nobis occalluit alta cicatrix;
Mox aliud uulnus membra repente secat.
Nempe meos Petrus tentat Mellinus amores.
Quid ni. altum exiguis fontibus æquor eget.
Nempe quod unanimi iunctus mihi semper amore,
Si quid amen, illud idem fas sibi amare putat.
Illud idem cupere, illud idem euitare probandum hoc
Esse ratus sanctæ fœdus amicitiæ.
Sic præstans animis iuuenis, sic uiribus acer
Meq; measq; ferox depopulatur opes.
Heu quid agam, namq; ille potens, Romanus, acerbus,
Et ferus ad miseras dicitur esse preces.
Quod si contra ausim strictis pugnare macheris
Me miserum Excetræ bella mouere parem.
Si certem forma, nemo formosior illo est.
Muneribus certem uincere, uictus ero
An forte ingenio sperem, & superare canendo,
Pulcher Apollo uetat. Docta Minerua negat.
Siue ego cœlestes grauiori Heroas adorem
Carmine, siue elegos mollia uerba sequar.

Non minor ille suas cantauerit Heroinas,
Nec minus in tenero pectine laudis habet.
Huic siquidem ipse suam mentem inspirauit Apollo;
Et iuuenem ipsa suis artibus erudijt.
Deniq; si quisquam merito sit dignus amari,
Hic meus ante omnes Hostis amandus erit.
Atq; alios fulgore suo obscurabit amantes;
Sol uelut exoriens astra minora fugat.
Ergo ita pellor, ut in partem spes nulla uocari,
Vel si etiam causam frater uterq; meam,
Hinc Hieron, hinc Celsus agant, miseratus uterq;
Carum in amore graui sic perijsse Virum.
Nil tales poterunt animæ impetrare, quod omnes
Quæ bona sunt, malunt illa parasse sibi.
Quis mihi nescio quis. IPSVM TE NOSCE. susurret,
Nempe alios potius noscere præstiterit.
Quando genu sura unicuiq; propinquius, unus=
=quisq; sibi, ut tentes, proximus esse uelit.
Ast ego non ita sum importunus amator Ianthi,
Vt cupide omne bonum solus habere petam.
Nam neq; te a multis unam lamentor amari;
Quin nisi ament te omnes uix ego amare uelim.
Sed quod ab illo uno tantum patiaris haberi,
Quodq; nisi unum illum perdita habere uelis
Optimus ecce Deus communes omnibus undas
Aeraq;, & Soles omnibus exposuit;
Quæ bona sunt, eadem cunctis mortalibus usq;
Esse bona, & prorsus nil proprium esse iubet.

Forma bonum est cœleste, & Amor cœlestia dona;
Quiq; amat ætheriæ semina mentis habet.
Non tua sunt quæ posco, mihi si munera cœli
Inuideas; in te sæuiet ira Dei.
Ira Dei, Nemesisq; potens Dea, sumere pœnas
Approperat, si quos uiderit usq; truces
Obthurare aures præcibus, dumisq; malignis
Obsepire genu, ne quis adire queat.
Tu tamen utcumq; aspra & inexorabilis in me
Sæuieris, nunquam non tuus esse uolo.
Non ego de nihilo, at Musis, & Apolline fretus,
Nec temere elegi, quam bene semper amem.
Dum tantillum animæ spirabit fidere certum est.
Olim forte aliquis me Deus aspiciet.
Quæ te cunq; dies facilem mihi reddet Ianthi,
Grata eris, atq; animo semper amata meo.

Ad Nepotem suum. Io. Ant. Egregium
Quod iuris sui esse nequeat.

QVod tua me pietas Antoni hortatur, & optat
Excutiam impositi pondera iniqua iugi.
Simq; memor tandem Patriæ, & post mille labores
Ad Libertatis commoda respiciam.
Non ne animus tibi Liber, ais; quem sub iuga mittis,
Votum ut in alterius sit Ditione tuum,
Quid magis indignum seruo est, sultanina quamuis
Regna regas, Serui nomine turpis eris.

Absit ab ingenuo macula hæc, cui libera mens est
Seruitio mortem cuilibet ante ferat.
Quo tibi Roma opibus tantis, luxuq; superba
Regali, Attalicis omnia plena bonis
Quo trabeæ fasces'ue tibi, quo Currus eburnus
Quo'ue ostrum, aut gemmæ, aut anulus ipse Gyg.
Omnia si bello Gallis, Venetisq; domandis
Iulius effundit. Quis tibi in urbe locus?
Nam, neq; terra eadem arboribus dabit omnibus aptum
Cognatis nisi sit uiribus aucta, cibum
Omnia quod si nata humore alerentur eodem
Gramen ubiq; unum, Pomus & una foret.
Sponte sua passim libycis enascitur aruis
Silphion, Ausoniæ quod loca nulla ferunt.
Multaq; de agresti, parua non amplius ulna
Transtuleris, culto quæ moriantur agro
Tuq; ulla frustra ingeniosus in urbe labores
Quæ genio non sit commoda & apta tuo.
Grata Nepos pietas in me tua, grata uoluntas;
Sed fieri ut possit nulla mihi apta uia est.
Incubuit quibus atra lues, & acerba Deum uis
Cæci abeunt, nec quæ sunt manifesta uident
Illicet. Accipitrum soboles iam iam integra pennis,
Nondum etiam occultis illaqueata plagis
Nondum passa manus hominum, obsequiumq; Magistri
Aethera per tutum libera scindit iter.
Et modo per tractus se se erigit Appenini
Pinifero aut Vesuli uertice fessa sedet.

Et rursum cœlo surrectas circuit alpes.
Nunc petit aereis Norica saxa iugis
Donec in incautos laqueos illapsa, reuinctis
Mox pedibus, cæca caßide operta caput
Paulatim imperium discit tolerare, uicesq;
Ire, redire sui præsidis arbitrio.
Sic rata iura Deum, legesq; adamante notatas
Frangere mortales non potuere manus
Meq; fuga reuocatum humanæ incommoda sortis
Perpetua uinctum compede ferre iubent.
At licet interdum uidear mihi lege solutus
Vltro animus prudens uincla relicta subit.
Nanq; uidere abitum dederunt, tutosq; receptus;
Vt liber uellem uiuere non dederunt.

Illu. Vincilao Purliliarum Comiti
Quanta sit Amoris uis.

O Præclarum animum miseranda in sorte Clientis,
Consilium o sancti pectoris egregium.
Nunquam erit ut tecum uitæ dispendia pendas
Tandem ausus rebus consuluisse tuis?
Quid Cœlum querulo semper sermone fatigas;
Sponte miser qui sis, si uideare miser.
Quis te autem bello captum diuendidit? aut cui
Mancipium accepto factus es ære libens?
Sed neq; tu cuiquam seruus; nec splendidus in te
Quisquam adeo, ut dicas, huic ego dictus ero.

Tu tamen, ut dura deuinctus compede demum
  Deploras uitæ tristia damna tuæ.
Audendum est, & quo maior te cura fatigat.
  Fortior hic contra nitere, uicta cadet.
Atq; alia, & speciosa soles quæ dicere, acerbam
  Vincilae ratus tollere curam animi
Seu tu inter siluas Academi arcana requiras,
  Seu nostra uerum de pietate metas.
Sed nondum heu nosti quanto his grauiora relinquas;
  Quæ mihi sub tacito condita corde latent.
Quam mihi mens uitæ disconuenit ordine toto,
  Vtq; omne infirmo a pectore robur abest.
Verum age quæsitis responde Tu quoq; nostris,
  Vt uel ego erudiar, uel tu ita doctus eas.
Si docilem indocilis Sus quis docuisse Mineruam,
  Mitiáue Alcynoo mittere poma paret
Vnde etenim menti tantus furor, ut petat illa,
  Quæ nolit, renuat quæ placitura uidet.
Quodq; unum laudat spernit, tantum effugit illud,
  Quod cupit; inq; æstu fluctuat aßiduo.
An ueluti Vrbs aliqua, & magna, & populosa Senatum.
  Pro rostris, plebem, Patriciosq; uocat;
Conueniuntq; alij atq;, alij. referuntq;, rogantq;
  De Patria. In partis it pede quisq; suas,
Exercentq; acres animis discordibus iras;
  Et fremitu, & studijs tota Theatra crepant
Sic etiam nostri compages corporis intra
  Pectus alit uarias dissociata TRIBVS.

Et quoniam non est uno compacta elemento,
Bella inter se se continuata gerit.
Hinc ubi propositis petitur Sententia rebus
Hic iubet, hic intercedit, & ille fremit.
Non ita, nanq; duos pro me uno haud esse fatebor
Pierios, numeri est uana superstitio.
Res una est iam quæq; sibi; neq; copula uincet
Vlla, duos homines esse quod unus homo.
Multi auten interiorem hominem exteriore figura
Longe alium, longe dißimilem esse canunt.
Felices qu introspicere hunc potuere, sed ullum
Oßibus absq; hominem credere difficile est.
Et tamei est aliquid summotum a lumine; Molem
Quod nostram exagitat, quod mouet, urguet, agit
Scilicet hoc nihil est pondus mortale, sed intus
Spritus, atq; animi uis operosa uiget.
Non ecur aut sanguis. neq; cor, neq; uerticis arces
Vllo tentantur turbine, siquid obest.
Ipse animus petitur, quotiens res ulla labascit;
Ipsum animum, si sit res benegesta probes.
Nempe animus tota hac dominatur Mole, per omnes
Ille hominis partes it dicione potens.
Vt Princeps hic cuiq; suus, sua cuiq; uoluntas;
Nec datur in plures dißilijsse manus
Esto aliquid Terrena sibi deposcere membra,
Nempe dapem rapida sollicitata fame,
Aut ignem Borea spirante, aut frigida tempe
Aestifero Herculeus cum furit ore Leo.

Non tamen illa sibi auxilium capiunt ue, petunt ue

Verum animus Castris consulit ipse suis.

Illa autem Imperijs huius subiecta tenentur.

Si se Animus Regem norit, & esse uelit.

Quod si animus solus princeps, solusq; Tyrannus

Imperio adiecit singula membra suo,

Quo mihi Pes tam sponte uagus, per saxa, per ignes

Ingreditur; nec mens approbat ipsa uiam?

Quo manus in flammas ultro se immittit edaces;

Et tamen a toto mens aliena malo est.

Nulla adeo stupida est animanti inscitia, ut ullus

Sponte malum affectet, dum sciat esse malum.

Verum ego fallaci totiens spe lusus, eosdem

Ore inhians hamos guttura fixus amo.

Cur ea prata libens peragro, quæ floribus angues

Omnibus occultant, luctificamq; luem.

Cur scopulos, cur alta peto, uiolentaq; uentis

Aequora? & aduersum quælibet unda ferit.

Atq; dolens, atq; ægra gemens mea commoda temno

Et mihi uelle adimo, quod uolo, quodq; iuuat?

Quod nocet usq; sequor; cui tanta potentia de me?

Inuitum quis me uelle, ubi nolo, iubet?

Et scirem e laqueis, totisq; euadere nodis

Et possem; siquidem me soluisse uelim.

At uolo, & aßidua cœli hoc prece numen adoro;

Nec mihi nocte alius, nec mihi luce dolor.

Et tamen arbitrij est alieni nostra uoluntas;

Quæ solita, & sola est cuilibet esse sua,

Pars siquidem hæc etiam patitur uim, uictaq́; cedit;
Sic animos acris perdomat unus Amor.

Ad Petrum Cursium Carpinetanum. Repulsam augere cupiditatis Vim.

VNde mihi totum insolito succenditur igne
Nunc iecur? itq; furens tota per ossa uapor?
Nec tamen ulla mihi est ardendi causa, pruinas
Rhipheas inter, Scythoniasq; niues.
Nanq; ubi cordi olim cupido spes nulla refulget,
Cesserit hac totus dificiente calor.
Ipsa autem nullo glacies dissoluitur æstu;
Frigida qua Dominæ pectora cincta rigent.
Et tamen ipsa magis flamma exardescit, ubi imbre
Alluitur, rigido supprimiturq́; gelu.
Res mira, ipsa rogos tantos accendat ut unda;
Quoq; ea frigidior fiam ego torridior.
Vidi ego sic calidis fornacibus usta referri
Saxa domum multo stramine supposito,
Vt subito inuasit properato turbine nimbus,
Saxa arsisse, imbrem corripuisse ueham.
Fraxineas Crates, axesq́;, iugumq́;, rotasq́;,
Totaq́; per mediam plostra soluta uiam.
Tam cito tantum ignis quæ causa accendit? an una
Omnia sub forma semina operta latent?
Viuit enim algentis terræ in penetralibus ardor;
Idem etiam gelidis associatur aquis.

Aera per totum sparsus diffunditur idem;
Et nihil est, cui non commodus hospes eat.
An ueluti gelido collectus in aere turben
Quo magis obstruitur, tentat abire magis
Maioresq; ideo per cœli templa procellas
Miscet, & in cladem summaq; & ima rapit.
Nanq; ubi per superas fertur uapor igneus auras;
Frigida quem Boreæ uis glacialis agit,
Multa reluctatur, sensimq; hinc cedit, & illinc;
Effugij sed cum nulla relicta uia est
Emicat effractis magno molimine uinclis
Cum tonitru, & flammis terra, poliq; micant.
Sic Dominæ, gelidus qui me circunstetit horror,
Accendi immodicis ignibus usq; iubet.
An, quia de nostris oculis hæc flamma profecta
Ad rigidum auerso numine corpus adit,
Indignata autem, turpiq; offensa repulsa
Tecta, laresq; suos acrior inde redit.
Non ut fluminibus turgescunt, flumina iunctis
Ipse uno uires ignis ab igne capit.
Adiuuat oppositæ naturæ spiritus, aura
Egelida, itq; sui fortior hostis ope.
Vtq; iugis effusi, altisq; e uallibus amnes
Exundant, siquis detinuisse paret.
Sic mea quo tendat præcluso tramite flamma
Impete in auctorem feruidiore redit.
Dic, age dic igitur socium lepidißime Cursi;
Quem malus aßiduis urit amor facibus

Durus Amor, cithara qui non mollitur ab illa;
Romæ aures doctas quæ tenuisse potest.
Dic rogo, quæ tua sit tanti sententia motus
Cursi, age ne dubita mentem aperire tuam.
Letifero nosti quos Vipera dente momordit
Nulli hominum morbum uelle aperire suum,
Nulli inquam, nisi qui simili sit fulmine tactus,
Vsq; adeo socios cladis habere iuuat.
Halia qui sumpsit tetro fætore necaret
Ieiunos, idem ni sit opella cibus.
Nos quoq; ubi alterutro querimur mala mutua luctu
Multa iuuant; alia non releuamur ope.

Ad Angelum Colotium Bassum,
De Amoris sui firmitate.

QVis Deus infensus mentem mihi dispulit? heu cur
Quæ nunquam sperem profore, sola sequor?
Carminibus ne agitor? nostræ an mala gramina mensæ
Illata? an lesit lingua proterua Deos?
An data cuiq; sui est homini pars certa laboris;
Nec proprium in terris est reperire bonum.
Nempe bonum inuenias, scruteris ut omnia, nullum;
Quod non perturbet pars manifesta mali.
Coniunxere Dei geminæ bona singula pesti;
Miscueruntq; acri nectar amariciæ.
Atq; utinam ut paribus noctemq; diemq; lapillis
Perpendere, pari cætera lance darent.

Dulce sed e phiala ut quidquam depromitur una,
Toxica de multis, & mala cuncta fluunt.
Siccine Coloti ad lacrymas mortalia sæcla
Nascimur? & Diuum dicimur esse genus,
Atq; animis cœlum superare, & sidera mente
Præter agi, & magni limen adire Iouis,
Nec tibi tam tranquilla dies affulserit ulla;
Quæ non ex aliqua tristia parte uehat.
Adde etiam quæ sponte petis, quæ sedulus optas,
Hæc eadem fieri plurimum acerba tibi.
Nec facile est uidisse fauos, Absinthia quos non
Tetra, aliqua uitient, inficiantq; lue.
Atq; ubi sperabas fontem inuenisse Leporum,
Tristia uiperei pocula fellis habes,
Omnia sollicitis subsunt mortalia curis;
Nec quisquam tali compede liber abit.
Ille per indignos obitus Regum'ue, Parentum'ue;
Hic per Natorum funera sæpe miser.
Hic quam exoptarat Sobolem per uota, precesq;
In proprium exitium se petijsse gemit.
Alter at insana rerum ambitione laborat,
Alter auaritiæ sordibus implicitus.
Est cui, dum laudem melioribus inuidet, usq;
Oblita Tabifico pectora felle madent.
Illum odia, & cupiens Vindictæ feruor adurit,
Hic lateri, articulis ille subinde timet.
Ille inimicitijs, hic Regum obnoxius iræ;
Atq; alijs alij casibus expositi.

Me quia non istis uiderunt fata querelis
    Obiectum facili tramite carpere iter,
Scilicet oblitumq; mei, oblitumq; meorum,
    Nil curare, humili quod premeretur humo
Sed supera alta animo Captantem, & summa tuentem
    Supra hominem, supra sidera ferre pedem,
Quæ uia sola fuit perdendi, in uincula Amoris
    Indomiti æternis implicuere malis.
Iam Veneta e tota exciderat mihi Daphnia mente,
    Nec mihi iam cordi Romula Ianthis erat
Omnis in his nostræ uersata est cura Camœnæ,
    Daphnia Dulcis Amor, Durus Ianthis amor.
Tertia nunc torquet maiore hastilia nixu
    Sæuus amor, felix cladibus ille meis.
Vnde mihi nullum effugium, spes nulla relicta est
    Pressa ullo ut soluam tempore colla iugo.
Quis, qui explorarit Diuinæ munera sortis,
    Cor habeat quamuis durius ære licet,
Nestoreæ quamuis superarit pensa senectæ
    Non amet, & grata compede uinctus eat?
Pulchra mouent, sed honesta trahunt, uerum omnia uincũt
    Integra mens, animi candida simplicitas;
Nempe aliquid petos in cor transmittere ocellos
    Verbaq; Cecropio perlita melle loqui
Scythonias Candore niues toto ore; rubore
    Malarum Idalias exuperare rosas;
Longe aliud sanctis præcellere moribus, atq;
    Insignem esse suæ nobilitate Domus,

Et præstare animis, & corde, & pectore; Laudes
Quas mea præ cunctis Lælia sola ferat.

Ad Hieronimum Fracastorium Veronen. animum Amore saucium ægre ullam admittere medicinam.

MEn totiens frustra admoneas Hieronyme, cuius
Prouida mens instar numinis esse queat;
Omnibus usq; adeo officijs in utrumq; parata est
Artis, & ingenij sedula cura tui,
Si patulas quisquam monitis adcommodet aures;
Siue animus poscat, seu graue corpus, opem.
Aurea nam referas Academi oracula magni
Et cupere esse aliud, quàm sit amare, doces.
Vtq; adeo poßim rectum dignoscere curuo
Indocile exemplis instruis ingenium
Nempe ad Lotophagos Ithacas adnasse carinas,
Dum patriæ quærunt dulcia tecta suæ
Illectosq; cibo socios patientis Vlyssei
Cum patria omne aliud posthabuisse bonum.
Nempe boni; in promptu quod erat, dulcedine capti
Vix poterant flagris ad meliora trahi.
At uenia dignum est, ubi quid delectat, in illo
Sistere, cui summi meta sit illa boni.
Tu uero quem quisquam epulis admittat opimis,
Quas Loto & multo Lassere condierit.

Eleborumq́; tibi. aut absinthia tetra propinnet
Pascanturq́; alij nectare & ambrosia,
Lentus eris, patiare famem patiare nefandum
Opprobrium, & risus de patina esse tua?
Vt flagrum, ut lorum mereare, ut mittier alta
Sæpius excusso sub tabulata Sago.
Qui manifesta tuæ uideas ludibria uitæ
Damnaq́;, & erumnas, totq́; in amore mala;
Et tamen in placita religatas compede perstas
Et sine spe captas quod nihil esse uides.
Nunquam animum ex olido excieris maleşane ueterno,
Inuisæ ue petent lumina lucis opem.
Non uenit in mentem quotiens irrisus abisti,
Cum peteres fandi tempus inane dari.
Non potuisse unum uerbum extorquere, neq; unum
Dicere, quod placidis auribus acciperet.
Num subit, ad metam primis properasse quadrigis
Cum tamen iniuste palma negata tibi est.
Et ne dum curas placido sermone leuaret
Non oculis oculos iungere passa tuis.
Quid mores laudasse probos tibi profuit unquam
Si precium, atq; decus turpia sola ferunt.
Mille autem complexa procos te excluserit unum
Versibus illa adeo facta superba tuis
Dumq; tibi crescebat amor, crescebat in illa
Duritia, atq; tui nominis acre odium
Qui tua constanti firmaret pectora nissu
Vnus amor, nec amor, sed furor unus erat

Nam furor est adeo coluisse, & amasse tot annos
Fontem odij, Vnde haustum nil, nisi amari aliquid
At tandem iuuet esse uirum. nunc omnia in unum
Contrahe, quæ uires dent tibi dentq; animum.
Me miserum, nil tale prius uidisse tot annos
Nil sensisse, rudis ceu lapis ante forem
O mihi nunc gliscunt Vires, animiq; feroces,
Nunc monitis fiam fortior ecce tuis.
O ego nunc uertam cœlum & mare, & omnia in unum
Miscebo. Ipse mihi nunc ferus ultor ero.
Nanq; aderit mihi Mediceus Dux clarus Iulus,
Et patrocinio promptus. & auxilio.
Cur ego tot ualles inter uexatus & alpes
Durarim in tanti Principis obsequium
Scilicet ut Phiberta illi clarißima coniux
Contingat, mea me deserat immeritum?
Non feret ille suum fraudari hac parte clientem
Iamq; adero accepta cum legione ferox.
Te male multabo, data munera, uasa, torumq;
Omnia discerpam, diripiamq; domum.
Quid loquor, aut quo mens abijt, quis me abstulit error?
Quo legio, aut ferrum. Quo furor iste rapit?
Hei mihi succensa nihil est iniustius ira;
Semper enim armata est in Dominum illa suum.
Quid tandem efficiam? quod ouis sub dente Leonis.
Quod rapidi simplex ædus in ore Lupi.
Heu fera condicio manifesta iniuria facta est,
Nec toleranda modo, dißimulanda etiam est.

Ad Laurentium Granam. Ci. Ro.
Reuiſendæ Patriæ
Deſiderio.

TOt me Grana igitur fruſtra toleraſſe labores,
Peruigiles noctes, ſollicitosq; dies.
Tot me infelicem diſcrimina pertentaſſe,
Tot maria, & longas tot ſuperaſſe uias;
Obſequio ut poſtquam ſudaſſem exercitus omni
Ingratum noſtras uulgus haberet opes.
Et poſtquam argenti, atq; auri ſub limine pondus
Speraſſem, & cuſſum magna talenta pecus,
Immundos tantum cineres, atramq; fauillam
Præmia poſcenti terra refoſſa daret.
Siccine quod tanti facimus nos decipit, heu heu
Iam nihil eſt in quo ſpem poſuiſſe iuuet.
Dum panem a leua captas, ferit altera ſaxo,
Eſſeq; ubi omne bonum credimus, omne malum eſt.
Ipſa quidem blandis Spes primum arridet ocellis
Carbaſeos uario culta colore ſinus.
Immenſosq; tibi rerum promittit aceruos,
Diuitias Regum, Deliciasq; Deum.
Inde ubi te auratis admiſſum poſtibus intro
Cluſerit, aptat atrox in tua colla iugum.
Cogeris & ſemper duro inſeruire labori
Nunquam intermiſſo deditus officio.
Interea obrepit non intellecta Senectus;
Quæ malefirma inopis terga repente premat.

Atq;

At q; ita perpetuo deinceps cruciere dolore,
Seruitij culpans tempora lapsa tui
O ego cui uitam imminui, quid inaniter annos
Consumpsi, cui tam frugi, & amicus eram?
Quid capiti huic miser ante tuli? quid dulcius ipsis
Duxi oculis? mihi quis numinis instar erat?
Qui modo blanditijs, & spe delusus inani
Stultitiæ refero præmia digna meæ.
Scilicet infelix decoratur gleba theatris;
Et fruitur lepidis tristis harena iocis.
Terra ferax rastris, duroq; agitatur aratro;
Quoq; magis grata est, dilacerata magis.
Sic Nux læta suo de fructu plectitur, & sic
Pro sterili Platanus fronde in honore uiget,
Quod si pertendas obsistere casibus, atq;
Vincere durando. dum meliora cadant,
Sæpe tibi lætis tempestas ingruat hortis
Deq; oculis subito tot bona surripiat.
Quo studio & quanta texebam aluearia cura,
Dulce mel esse ratus, fellis amaror erat.
Heu quanto seui cultu uiolaria, molles
Tonderem ut uiolas pollice, Vepris erant.
Hactenus in tenebris, totoq; errauimus æuo.
Nunc aperit luci lumina clara dolor.
Ille oculis tandem nubem disiecit opacam
Vt uideam in quantis uita sit ista malis.
Et quantum Asphodelo inferius sit Nectar, & omni
Ambrosia mollis Malua petenda magis.

O Patria, o Valles, o flumina amœna, niuosis
Alpibus in lætos quæ trepidatis agros.
Quando erit ut uestros detur mihi repere colles,
Plenaq́; uenatu retia ferre domum.
Chæmeus Myson sapiens ab Apolline dictus,
Psophidius felix, rura quod incolerent.
Hic liceat sacra Ardalidis mihi ferre Camœnis
Dulci aspersa mero, lacte, papaueribus.
Atq; ita præteritos abolere e mente dolores,
Præsentiq; bono, lætitiaq; frui.
Gratantesq; mihi ueteres per rura clientes
Accipere, in uiridi cespite propter aquam,
Propter Aquam Mammæe tuam, Fons optime rerum
Limpide fons, dulci fons glacialis aqua.
Seu Suspirioli gelidis in uallibus alti
Seu per Alimanæ prata, & amœna iuga.
Perq́; fora, & plateas caros inuisere amicos,
Quos mihi de tenero sors dedit ungue pares.
Quando duas de bis denis & quattuor horis
Arbitrio potero disposuisse meo?
Quis neruos citharæ assidue contendat & arcum?
Nam cithara, Arcus, Homo, cuncta quietis egent.
O somne, o tranquilla quies, o lectule nostri
Iamq́; capax summo a uertice ad usq; pedes.
O generosa fames uili contenta lupino.
O preciosa nimis uellera nata domi.
Vos ego uos iam posco libens, atq; ista relinquo
Quæ uulgi tollit rumor ad astra frequens.

Nanq; duas si Dij uitas mortalibus ægris
Contribuant, uni gaudia, & alteri opus
Partiti, alterutra patiar uel mille labores;
Si reliqua in requiem, lætitiamq; fruar.
Vnica sed quoniam, & breuis est data uita, cauendum,
Ne labor hanc, tristis'ue occupet anxietas.
Persimilis uino est hora hæc, quam uiuimus, illud
Cum bona pars hausta est, nulla mora, ecce fugit.
Cura iuuentutis cruciat me, & cura Senectæ
Quod nimis hæc properat, quod rapide illa abijt.
Vel tua, uel tractes aliena negotia; demum
Nemo hominum est, qui non interagendum obeat.
At mihi me reddam, & mihi tandem uiuere pergam
Quod superest, siquid Dij superasse uolunt.
Tempus enim ingratos hos declinare labores
Et memorem esse, æuum quam breue. Longa Dies.
Atq; aliquam ætati tandem indulgere quietem.
Sero Senex qui uis esse, cito esto Senex.

AD M. Antoninm Flaminium
Adonis Luctus.

AT Puer immani laceratus dente iacebat,
Purpureaq; madens tabe rubebat humus.
Magnam etenim, magnam femori plagam hausit Adonis
Maius at in Veneris pectore uulnus hiat
Nosti hæc o nostri non ultima gloria sæcli;
Talia qui summa scribere laude soles.

Antoni; quem Phœbus amat, quem docta Minerua
Esse suum, Pietas asserit esse suum.
Stat Cypris, atq; alto mentem perculsa dolore,
Tabentesq; genas, frigidaq; ora fouet.
Non ea puniceis in uestibus aurea, uerum
Squallidulum pulla pectus operta toga.
Se miseram inclamans gelidæ dabat oscula fronti
Et niueum æthereo rore lauabat ebur,
Quod simul effractum fusas stillare medullas
Per terram aspexit; perq; uterum ire necem,
Immitem execrata colum, & crudelia amantis
Funera, uulnifici tam rabida ora feri,
Item ait aligeri, capite arma, & uincula Amores
Et sontem ante meum sistite numen Aprum
Hi properant, uacuasq; alis flauentibus auras
Vsq; secant; siluas antraq; cæca ruunt.
Vmbrosoq; specu latitantem, & cuncta pauentem
Deprehendere feram sedula turba Suem.
Vndiq; concerpunt philyras in uincula, & Hostem
Inuoluunt laqueis, uitilibusq; ligant.
Pars prægressa trahunt uincti retinacula colli;
Poneq; pars iaculis hispida terga ferit.
Subsequitur; non ille minax non dente superbus;
Sed deiecta ad humum lumina, & ora gerens
Vt uero ante oculos Veneris tremebundus acerbæ
Constitit, illoto rostra cruore ruber.
Sic illum est affata Venus. teterrima rerum
Bellua per tantum facta profana scelus.

Tu comitem petere ausa meum, laniare Maritum;
Perdereq; illecebras, deliciasq; meas?
Sus contra. Heu quæ me luci mala fata tulerunt,
Culpor ego, & cedem fecit iniquus Amor.
Testor Diua tuum numen, hæc uincula testor;
Quodq; in conspectu triste cadauer adest,
Ille meis flammas oculis iniecit, ut amens
Inspicerem pueri lactea membra tui,
Ille latus nudum exeruit, quo me improbus ardor
Impulit iu niueum Basia ferre femur.
Imprudensq; auidusq; cutem contingere labris
Dentibus haud memini fulmen inesse meis
Illo ego sum uisus mihimet discerpier ictu
Et mea persensi uulnus in ossa trahi.
Quare age frange meos agedum Dea candida dentes
Auctores tanti scilicet exitij.
Nam frangi meruere, deinc inamabile pondus;
Quos utinam Parcæ nunquam habuisse darent.
Hic cytherea; sui cui nota potentia Nati;
Protinus insontem commiserata feram,
Imperat absolui uinclis, tantumq; religat,
Ne siluas posthac egrediatur, Aprum
Mox Satyros, Nymphasq; iubet de more parare
Inferias, caro dona suprema uiro.
Littoreas cedi Myrtos, mollesq; Genistas;
Atq; ire in mæstum cuncta Roseta rogum.
Deq; sinu ambrosios cœlesti prompsit odores,
Balsamaq; e paphia pyxide multa dedit.

Hunc ubi Naiades lacrymis lauere profusis,
Lactea fragranti membra liquore linunt.
Imponuntq́; pyræ, atq; iterant. Vale pulcher Adoni
Pulcher Adoni Vale. Flos Paphiæ usq; uale.
Ardet Adonis, & hunc circum gemit agmen amorum,
Qui lacrymas uincunt Cyprogenia tuas.
Pulcher Adonis obit lamentabantur Amores;
Antra, atq; arua sonant. Pulcher Adonis obit.
Hic Pharetram, & calamos, ille arcus iniicit igni.
Ah miserum, ultro alas uellicat ille suas.
Nanq́; odio pœnas qui festinarit iniquo
Sumere, maiori mox luit acta malo.
Diua tamen natos, & tantæ crimina cedis
Odisti, & pœnas pendere sæua iubes.
Hos itaq; in flammas iacis acri accensa dolore;
Nullus Adonis ut est, ne sit ut ullus Amor.
Quod nisi Mars præsto miseris infantibus aßit,
Sacrilegum & stricto diruat ense rogum.
Deliciæq́;, iociq; omnes, lepor ardeat omnis,
Vt nec Adonis erat, non erat ullus Amor.
Et tamen in teneros ardor penetrauerat artus,
Totaq; erat rapida læsa medulla face.
Nec gelidi quidquam fontes iuuere, nec ullo
Intima iam potuit flumine flamma laui,
Quin bona pars Venis, cordiq; insederit imo.
Ex illo est ignis tempore factus Amor.

PIERII VALERIANI BOLZANII AMORVM.

LIBER QVARTVS.

AD ILLVSTRISS. GVLLELMVM MONTISFERRATI PRINCIPEM EXPVGNATA ANCISA.





Nter honoratos felici Marte Triumphos
Nomen Alexandro nobile Petra dedit;
Præpete quam uolucres penna superare nequibant:
Aeternum unde locus nomen Aornus habet.
Altera Gullelmi nunc expugnata lacertis
Inuia aui, ac ipsis inuia fulminibus,
Se quia præcisis muniuerat undiq; saxis,
Ancisæ uerum nomen habebat Apex.
Hanc Scynis, hanc Cacus, Sphynx immanisq; Procrustes
Atq; istis si quid fœdius est Furijs.
Incoluere diu fœdantes arua rapinis:
Nemo illa posset tutus ut ire uia;
Qua Tanarus, quaq; Eridanus spatiosa per Arua
Voluitur; & lætis stagna ministrat agris.

Nemo horum ſed enim rapuit uel farra, uel herbas;
Saxa uel auerſas traxit in alta boues,
Sed locus ille olim Celſa ſub rupe repoſtus
Criminibus cunctis turpe, erat effugium.
Hic Patris, hic Matris iugulum perfregerat; ille
Se conſanguinei ſanguine proluerat.
Vt taceam tetro detentos carcere fratres
Hic erat omne nefas deniq;, & omne ſcelus.
Diruta iamq; iacet rupes, uia tuta, perempta
Monſtra, & Gullelmi fama, decusq; uigent.
Quam tibi, quam bone Dux dabit hæc uictoria Palmam?
Non non humanæ eſt iſte Triumphus opis.
Nam neq; Amor regni, neq; opum ſcelerata cupido
Te mouere, locum uertere ut appeteres.
Te pietas, te pacis amor, te gloria honeſti
Impulit, o ueræ nobile laudis opus.
Inclyta Cæſareo deducta a ſanguine proles,
Optime Dux, ueterum te quibus anteferam?
Siue animum ingentem, ſeu qua munieris altum
Doctrina ingenium commemorare uelim.
Maxima prætereeam, præclaraq; facta tuorum;
Sint decori illa alijs; te tua nobilitant.
Siue tuos in pace regis, ſeu Bella ſuperbis
Hoſtibus aſpra moues, quantus ad arma uenis?
Quantus ob Italiæ decus, ac illuſtre tuorum
Nomen in inſubro puluere nuper eras
Cum biſſena tibi Gallorum corpora palmam
Conceſſere, in equis robore uicta tuo.

At decus æternum tibi erit, quod deniq; Asylum
Sustuleris, nequeunt tam benefacta mori
Macte igitur præstans iuuenis tam fortibus ausis,
Thesæas referens, Herculasq́; manus.
Viue diu, taliq́; animo maiora capesse
In scelera, inq; nefas ultor, & hostis Atrox.

Humanæ uis appetentiæ ad Fran.
Marium Molciam.

VNde odor hic paßim Libyca diffunditur ora?
Melitoq́; notus nectaris imbre fluit?
Vnde herbis acceßit honos, citrijsq́; uolemis?
Vnde omni rarum gramine lasser olet?
Et modo quæ rabido candebat terra calore;
Et modo quæ flammis torrida harena fuit.
Nunc tepet, & mites Zephyri depascitur auras;
Nunc uiret, & uernum floret ubiq; solum.
His Libyn alloquitur Pallas mirata uirorem
Insolitum. contra sic Libys ora mouet.
Vera Iouis proles, cui nostræ cura paludis,
Cuiq; decus nostri littoris ara calet.
Nescio quæ externo de littore claßis ad oram
Appulit hanc. nulli cognita uela gerit.
Hinc lecti Proceres nuper Carthaginis altæ
Mœnia succedunt, & noua tecta petunt.
Hinc puer emicuit, quo nil diuinius unquam
Aut uidi, aut quemquam posse uidere putem.

Vt taceam formæ rarißima dona, ut ocellos
Vt gestus, ut uim, uerbaq; dißimulem.
Vix terram attigerat cum puluis harenaq; paßim
Floruit, & læto Gramine pinxit humum.
Quæ uarias uulgo species, uariosq; nouatus
Edere uisa, nouo spargere odore solum.
Qualia Panchæis ad nos portantur ab oris
De Cyprio qualis littore puluis olet.
Tunc posita feritate greges genus omne ferarum
Esse simul, facta pascere pace simul
Vidisses, paßim uiolas, Chaltamq;, Crocumq;,
Puniceas paßim munera odora rosas.
Huic comes, id nautæ repetebant nomen, Achates
Nouimus hæc, forsan cætera nota tibi.
Tum Pallas, miseras, miseras quæ lumina Nymphæ
Tunc habuere, magis tu miseranda Liby.
Quam fors præteriens tetigit pes, aut manus, aut pars
Velleris ulla, peris heu miseranda Liby.
Non mortalis erat facies, sed grande, potensq;
Numen, & humani pernicies generis.
Heu miseram, blandis cui primum adrisit ocellis:
Heu miseram tactu quam beat ipse leui.
Sic fallit, sic cuncta domat, sic omnia uertit
Callidus, indomitus, lubricus, instabilis.
Nulla fides, spes nulla illi. fraus omnis, & omnis
Huic dolus; illecebris, insidijsq; uiget.
Hunc fugite, o Nymphæ Barceides, hunc fugite inquam
Vnius tutæ Pallados auxilio.

Hic Amor o miseræ falsa sub imagine, quamuis
Mentitum Ascanij nomen, & ora ferat,
Cui mala mens dulci sermone obtexitur, æque
Ac loquitur nunquam sentit iniquus Amor.
Mel dabit ingressu primo; dein uulnere acerbo
Te petet, ut cæca cuspide pungat Apes.
Quod sine me siquis puerum spectauerit illum
Sentiet affixas uiscera ad ipsa faces.
Vna uti fax unam facile urbem exusserit, huius
Vrere mille urbes una fauilla potest.
Hos dederat Virgo monitus Tritonia; at illæ
Vt pereunt, ut amant, ut perijsse iuuat,
Nimirum in nostra latitat quid mole proteruum
Molcia, quod nulla quis ratione regat.
Molcia qui totiens Phœbi auxiliaribus armis
Tentasti indignum dissoluisse iugum,
Quoq; magis contra uim colluctatus Amoris,
Hoc magis, atq; magis subditus opprimeris.
In reliquis precij quantiuis clarus, & acer
Vinceris hoc, quod homo non potes esse Adamas.
In faciem quamuis minitantia numina clament;
Quæ iubeant uetitis abstinuisse cibis.
Virq; sibi constans firma stet mente paratus.
Eua obstat nostris indita uisceribus.
Quid faciant homines? cœli rapiuntur ab ortu
Occasum usq; Dei Principis Imperio.
Pars bona sed contra cessat, pro uiribus unus=
=quisq; suis, tanti est, quod cupis, esse ratum.

Ad Alex. Morandum ut Absentis
Amici rationem
habeat.

SIc te hilarem ignitis Scyope tua reddat ocellis;
Sic te etiam mecum Montia dulcis amet,
Care morande meos, quid agant, spectabis Amores;
Si quid amicitiæ fœdera sancta ualent.
Res est magna suos fateor concredere Amores;
Quod cupiunt omnes pulchra parare sibi.
Sed probitas tibi maior adest. Tu semper honesti
Cultor, Summa fides est tibi, summus amor.
Nec miseri terrent Candaulis fata; sodalis
Cui rapit Vxorem, quem necat ense, Gyges.
Quin te ut Pompeum potius mirabor; amatam
Qui socio Floram donet habere libens.
Si sit opus; quamuis neq; opus, neq; causa futura est;
Cur tu umquam in nostro fonte natare uelis.
Tali igitur perges animo mea iura tueri;
Me Dominæ acceptum reddere Soliuolæ.
Qua poteris; nam larga uiget tibi copia fandi,
Pondus inest dictis, gratia in ore sedet.
Videris hanc alio uolucrem diuertere mentem;
Opposito claudas obijce cautus iter,
Alterius formam noris placuisse uenustam;
Tu contra mores fac placuisse meos.
Hipponax deformis erat, sed mente ualebat.
Euryalus Phœax pulcher, at insipiens.

Mæonidæ oraclum est. Nulli omnia. scilicet esse
Egregium forma, & quæ deceant sapere.
Alterius miratur opes, auriq; nitorem;
Dic plectra Aoniæ splendidiora Lyræ.
Pauper erat Cynicus, Diues Rex, hic tamen optat,
Ni sit Alexander Diogenes fieri.
Approbat indomito spectandas corpore uires;
Aetherei uires præferat ingenij.
Non etenim Aecides Troiam, sed cæpit Vlysses;
Ille pedes uelox, lingua erat iste potens.
Quis nam hominum fieri sapiens non malit Vlysses,
Quam Cyclops forti robore, mentis inops,
Me procul esse animo procul ut sum corpore dicet;
Tu, desiderium copia rara facit.
Scilicet Aurigæ impulsu maiore feruntur
Occasum usq;, magis quæ procul astra micant.
Luna autem, ut metæ proprior. contanter ab Indis
Ad Venetos lento cernitur ire gradu.
Sic torpent uicina, oculosq; oggesta sub ipsos;
Summoueas si uis esse quod ullus amet.
Vela eadem sublata alta ad Carchesia pontum
Vento eodem cursu feruidiore secant.
Quam quæ de medio pariter turgentia malo
Commouere loco de propiore ratem.
In uetita ardentes præsentia temnimus omnes;
Est quæ Amor amoti sæua cupido boni.
Vidi ego uicinas magno certamine moles
Tentatas, nunquam cedere posse loco.

Vt procul absistas, uno facile ungue mouebis,
Quod toto incassum pectore nissus eras.
Scilicet ars tanti est, & amici lingua fidelis,
Quiq; mihi Vectis sit uice, uerus Amor.
Quod grauius doleat, Peregrinum dixerit esse;
Dic cordi nullam ciuibus esse suis.
Nosti illa Andromedem Perseus portauit ab Indis.
Abuecta externis Hippodamia rotis.
Iuppiter Europam Tyrijs furatus ab oris;
Et dabat insignes Græcia mille nurus.
Cumq; Palestini, Solymi, ac Aegyptus haberent
Sexcentas, quarum uos decuisset Amor
Sancte senex uatesq́; Deo gratißime, Gnato
Vxorem Eufrate quæris ab usq; tuo.
Omnia peruoluas ueterum monumenta Virorum;
Maximus ille fuit qui Peregrinus Amor
Nunc hijs, nunc alijs doctus referire, parabis
Me Dominæ, Dominam conciliare mihi.

Ad Benedictum Acolthin pro dono
Mazæ Dulciariæ.

QVæ tam mollis erat, cænis genialibus apta
Mirabar Martis nomen habere dapem.
Marti epulæ nunquam hæ notæ, Martis'ue maniplis;
Tempore quo uirtus prisca in honore fuit.
Pura Ceres, uel cepa rubens, uel poma, nuces'ue,
Prandia honesta dabant; flumina potus erant.

Sic ueteres uixere, & siquid Lautius essent,
Durati addebant terga salita suis.
Sic & ad extremos Arabas, Parthosq; repostos;
Sic & ad Aethiopas, sic ad utrumq; polum.
Victrices fixere Aquilas, & signa Quirites;
Romanum unde omni nomen in orbe sonat.
Durus enim uictus, patientia summa laborum;
Non epulae, atq; torus talia facta; parant.
Nunc, qui uel Loton superat dulcedine, panis
Suauior ambrosia, nomina Martis habet.
Et merito, neq; enim hoc frustra generosus Acolthis
Pectora felici nostra leuarit ope.
Numine nescio quo, uel per se, cautus in ipsis
Pectoribus Martem uim posuisse suam.
Nam neq; sunt toto superis in corpore uires.
Sed data, qua ualeant, pars sua cuiq; Deum.
Lumine Sol praestat, pedibus Cyllenius, inde
Ille oculo, hic pedibus uim dat, opemq; Deus.
Alcides uastis humeris, ualidisq; lacertis;
Idem humeros, idem brachia nostra fouet
Pectore Mars insignis, & uno in pectore felix
Pectoribus quae det robora semper habet.
Infirmum mihi pectus erat, glacieq; niuali
Frigidius poterat nullum adamare cibum.
Adfuit a nostro Benedicto Missus, ut aiunt
Martius, & subitam contulit unus opem.
Frigida uis hoc pulsa procul, suauiq; calore.
Lenita est stomachi Nausea lenta mei.

Iamq; cibum appetere excita inceptamus orexi;
Iamq; omnis languor cedit, atrox dolor;
Iam ualeo, iam pectus erit de munere amici
Incolume, hoc ausit nulla abolere dies.
Vsq; adeo iuuat in rebus spes firma, uoluntas
Feruida, & ex animo quæ tibi fausta putes,
Tuq; adeo casu iuuenis rarißime nostro
Commotus memori in pectore semper eris.
Semper & illa meo probitas tua in ore sonabit;
Atq; animi candor, simplicitasq; probi,
Et tua Pierij celebrabunt Dona Poetæ;
Pierij Pan is Martius una salus.

Amicæ pudorem
Laudat.

QVod mihi difficilis fueris mea uita petenti
Oscula, ne quidquam displicuisse putes.
Namq; pudor, qui causa mei uiget unica amoris
Gratior hac ipsa rusticitate fuit.
Præterea mihi opem fers, ut si frigida demas
Pocula, dum fauces urit hanella febris.
Sed licet usq; neges, dum quo magis ista negabis
Dumq; eris asperior, norim ego amare magis
Nimirum ipse pudor uerum commendat amorem,
Quoq; modestior est, urit
amabilior.

Ad Mar. Ant. Michaelem Patr. Ven:
Pharmaceutria.

QVo Laurus, quóue Ara mihi, Far, Lana parentur
Marce rogas, ut amans, sollicitusq; mei.
Nil celem, res digna tuis est auribus, ut qui
Censor amicorum sedulus esse soles.
Sacra Deæ facimus, quæ sancto aspirat amori;
Quæ casta poscit carmina casta die.
At Deus, ecce Deus me corripit; igneus ardor
Incitat, atq; alia est mensq; animusq; mihi.
Adsit in his age dum triuijs mea Daphnia mecum;
Nanq; decet castam Daphnia casta Deam
Quos malus ardor habet, uoto procul este procaci,
Conueniunt castæ corpora casta Deæ.
Hic ternis primum cubitis Altaria pono;
Desedit digitis non procul Ara tribus.
Huc niueæ, piceæq; simul de more bidentes;
Hic mala consperso deueneranda sale.
Has niueas mactamus oues Altaribus ipsis;
Has piceas Aris sacrificamus opes
Sacra Deæ ferimus Triuiæ; procul este profani;
Congruerint castæ singula casta Deæ.
Luna, Diana, & idem Proserpina numen, Olympum
Et siluas, eadem Tartara Cæca tenet.
Atq; ideo triplici simulacrum fronte dicamus
Hic, ubi prædulci fons scatet altus aqua.

Fons mihi amate diu, ac animo suauißime nostro;
Fons mihi care diu, fons memorande diu.
Hic posuit nostro de sanguine signa cupido;
Hic primum est oculis Daphnia uisa meis.
Sæpius hic longas ambo consedimus horas;
Cum uiolas pleno spargeret illa sinu.
Sacra Deæ ferimus Triuiæ, procul este profani;
Casta manus casto sacra in Amore ferat.
Aurea sidereis pila circumsculpta figuris.
Cui lapis Eoo littore lectus inest,
Vertitur in gyrum Taurini uerbere lori;
Excantemus, Io, carmina grata Deæ.
Sacra Deæ ferimus Triuie, procul este profani;
Pangimus hic magnæ carmina magna Deæ.
Magna Hecate, paret cui larga potentia rerum;
Accipe sinceras Libera Diua preces.
Vertitur hic orbis ueluti stellatus in orbem;
Perpetuo uiuat tempore noster Amor.
Sidera nulla queant, humana potentia nulla
Mutare affecti pectoris ingenium.
Vtq; hec lora pilam, Dominæ sic corda flagellet
Noster Amor; mea sic corda flagellet Amor,
Nulla quies illi, nisi cum me uiderit, aßit;
Quamq; ego ni uideam, sit mihi nulla quies.
Nullius igne queat posthac succendier illa;
Ipseq; succendi nullius igne queam.
Namq; hanc non alijs æquum est ardere fauillis;
Quam mea legitimo pectora Amore Calent.

Pieriam phrygius ueluti Milesius arsit
Castæ sacra Deæ dum tibi casta facit.
Illa suæ optatam patriæ tulit una salutem;
Mollit Amatoris dum fera corda sui.
Munera dum spernit, si templum operata, subinde
Posßit Diua potens ire redire tuum.
Deinde sibi tales castæ optauere puellæ
Esse procos, tali semper Amore coli.
Sacra Deæ ferimus Triuiæ. Procul este profani;
O pereat per te qui scelerata cupit.
Lætius ecce micant flammæ; Dij uota secundant;
Stellaq; lunari ducit ab orbe facem.
Allatrare canis, Pastor nutare uidetur;
Hinnitu Sonipes certa probare leui.
Vina igitur fundam niueo canentia lacte;
Atq; sacras addam rite operatus Aquas.
Iam Verbena Cinis, Laurus cinis; atq; medulla
Aruis ista Canis, quæq; adoleuit anus.
Et mea nescio quis præcordia suscitat ardor;
Ardentesq; rubet Daphnia pulchra genas.
En me Diua reum Perseis Damnat, amamus;
Plaudere tempus, Io Daphnia, rursus Io.

Ad Io. Ant. Pollionem, Geloum Heroa, De Amoris
sui uersa Machina.

ERgo ego per larymas miseram tot sæcula uitam,
Vitam infelicem duro in Amore traham?

Nec mea firma fides tantillum leniet unquam
Illum animi horrorem, duriciemq́; feri.
Nec tamen absisto, neq; me subducere leto
Cura subit, nec mens ad meliora redit.
Cura quidem auspicijs quondam dulcißima lætis;
Nunc in Amariciem uersa, & in acre odium.
Nam nostro series, atq; ordo inductus Amori
Longe aliorum alia condicione fuit.
Aspera namq́; solent ingressu plurima primo,
Et fieri ingenuis non toleranda Viris.
Siue oculos cauet illa tuos; seu uerba tremescit;
Quis saluere animam iusseris ipse tuam.
Seu uetat ante domum gressus iterare frequentem;
Blanditias peius seu cane, & angue fugit.
Munera seu grauibus uerbis abiecta repellit;
Supplice seu lacerat uerba notata manu.
His tamen, atq; alijs mox artibus expugnata
Mitibus, o, tandem uertere dura solet.
At mihi de placidis cecidere immitia ceptis.
Arbitrio uersat sors ita cuncta suo.
Vt uidi, ut me eadem uidit, exarsimus uno
Igne, dedit plagas una sagitta duas.
Actutum emisere oculi in precordia uirus
Alterius fusum sanguine ab alterius.
Nec mora longa, manus sanxerunt fœdera iunctæ,
Firmaruntq́; datam suauia blanda fidem.
Suauia clausa labris primum, mox obuia linguis;
Suauia quæ abstulerunt mentem, animumq́; mihi.

Quid memorem illius felicia cuncta diei
Quæ subito extulerant cor super astra meum.
Pollio curarum requies nunc sola mearum
Qui sapis, & tanto in uulnere quæris opem.
Dum renouas patrio pastorum carmina cantu,
Et simili ostendis te iacuisse malo.
Sed nec opem iactura recens, nec uulnus Apertum
Admitit; superat uis quia sæua, querar.
Quo nunc hæc abiere? Noto quo impulsa per undas
Hesperias, Helyces per freta cæca ruunt?
Omnia nunc mutata, lepos iam nullus in ore;
Mella abeunt, captat bilis amara locum.
Sic tenera Asparagus molli modo caule placebat;
Factaq; mox spinis aspera tota riget,
Nec modo suauiolis, iam uerbis Abstinet ipsis;
Nec modo complexum, lumina nostra fugit.
Nec tamen illa meo mutata est crimine, ni fors
Esse putat tanta, crimen, amare fide.
Verum euecta meo totiens super æthera cantu,
Iudicio intumuit facta superba meo.
Fama est quadrupedem generoso e semine fortem
Olim ad Alexandri succubuisse manum:
Qui simul ac ostro rutilaret stratus, & auro,
Ditibus & Phaleris ambitiosus erat.
Non, nisi purpureo insignem Diademate Regem
Sessorem dorso pertulit usq; ferox.
Depositis idem phaleris, ostroq; remoto,
Imbelli quauis blandior ibat oue.

Vt phaleris igitur Sonipes erat ille superbus;
Hæc ita de Musis ambitiosa meis.
Improba mortales ut dedignetur Amantes;
Et sibi amatores speret adesse Deos.
Et mihi nunc merito miseros depascitur artus,
Tabida quæ sparsa est ima per ossa lues.
Nec mihi lux iucunda micat, nec amabilis ulla
Nox silet. anxia nox, irrequieta dies.
Vt qui naufragio de naui excussus in undas
Hellespontiaco, Sicanio'ue freto.
It pessum in caput, & fundo mox exilit imo;
Sæpius & cœlo redditur, ac rapitur;
Vorticibus donec rapidis miserabilis haustus
In præceps demum non rediturus eat.
Sic decies uariare uices ego iussus inhæsi
Deniq; sub medijs irrediuiuus aquis
At tu disce modum studijs imponere tandem;
Et colere humanum corpus honore Deum.

Ad Amicam Fugacem.

Crudelem an potius clementem dixero, Amantem,
Quod fugis, & uitam dasq; adimisq; simul.
Crudelem, quia tantillum me uiuere nosti
Quantum animæ uestris fugimus ex oculis.
Clementem, quia cum uideo te uulnere acerbo
Me cadele aspexti, ne peream ergo fugis.
Ergo quid, optarim mihi si sors utraq; mors est.
Lenta'ne an subita morte perire uelim.

Vnoquoq; Die satius semel ire sub orcum.
Quam unaquaq; hora funera mille pati,

Ad Mariangelum Accursium Aquilanum
De luxuria Barbarorum.

Ille ego qui fueram uitæ admirator honestæ;
Gloria qui tetricæ prima pudicitiæ
Postquam pellexit me Deliciosa Geneua,
Et lacus, & colles, atq; ager, Vrbsq́; procax,
Penelopes inter sponsos discinctus amator
Nequitiam, & molles cœpi adamare iocos.
Ah nequis Vigili, aut Petrosanctæ hæc deferat hostis;
Ah ne tu audieris hæc Sadolete pater.
Ah ne hoc crediderint aliquo iurante, Gybertus
Sanga, Madalenus, Cassalius'ue precor.
Ad Dominum Regemq́; meum si forsan Iulum
Publicus hic sparsa uoce susurrus eat,
Nec patrui similem me Vrbani intelligat esse;
De me actum est, ah iam funditus interij.
Siue alij audierint; quibus est censura pudoris;
Quam subito de me fabula turpis erit.
Scis etenim intento multos Mariangele cornu
Obseruare, patet qua tibi parte latus,
Vt feriant; neq; enim feriendi causa petatur;
Oblatum telis est satis esse locum.
Quo tu autem polles animi candore, laboret
Frustra, alium quisquis se reperire putat.

At iam alius uideor subito mutatus ab illo;
Quem puerum æquales quem stupuere uirum,
Mirati senium in puero, in florentibus annis
Nequitiam firma continuisse manu.
Hoc adeo geniale solum mentemq; animumq;
Fascinat; in Rhodano Salmacis unda latet.
Vt nec Lotophagos, nec blandæ pocula Circes,
Sirenasq; æque perniciosa putes.
Namq; pruinosas simulhac transcenderis alpes
Inseruire epulis cogeris, atq; toris.
Et nisi sexcentas hic consectere puellas;
Rusticus, & Rusco diceris horridior.
Nos itaq; ut nimium duros, nimiumq; seueros
Proscindunt dictis, opprobrijsq; notant.
Quod genium fraudare iuuet; neq; noscere uitæ
Præmia, delicias, Vina, Iocos, Venerem.
Ille itaq; has inter magis & uenerabilis umbras;
Fœmineus quem grex maior adire solet.
Quiq; Syracosias meliori abdomine mensas
Vnguit, ubi a patinis altior extat Apex.
Qui latas siccat pateras, qui plura uoraci
Intulerit uentri; largius unde uomat.
Quiq; latus iactat ualidum magis, & magis aptum
Terdenas una nocte iterare uices.
Inq; hac, inq; alia fuerit petulantior, Hirci
More olidi. hic uirtus est, magis esse procum.
Vos tamen o prisco Clarissima Lumina sæclo;
Vos ego, uos merito semper honore colam.

Quos modus, atq; tenor, quos morum candor honestat;
  Quos beat Antiquo uita pudore proba;
Fercula qui apponunt mensis sibi singula; simplex
  Quos cibus, & Lymphis uina liquata iuuant.
Qui quotiens uni se se addixere maritæ,
  Mansuram dederunt fœdera firma fidem.
Concordes ueluti quam longa ætate Columbæ
  Degunt ignaræ turpis adulterij.
Siqua Asiæ Cypri'ue bonum lasciuia Brutum
  Illectaret, erat Porcia sola animo.
Siquid in Hispana fuerat Carthagine pulchri,
  Debebat meritis Scipio magne tuis.
At tu, ne dum almum tentes uiolare pudorem,
  Tam licitis fraudas lumina honesta bonis.
Non igitur, non me illecebra hæc seducat amantem;
  Vitaq; sit uitæ concolor usq; meæ.
Affectent uarios, quibus est mens lubrica Amores,
  Vnus amor nobis, una puella satis.

Calamus Scriptorius a Marie, Monœci Domina, Hieronymi Roborei Sponsa, Dono Acceptus Celebratur.

QVæ Regio, quæ'ue ora maris tanto omine felix
  Hunc Calamum e salsis protulit æquoribus?
Quem mihi ab Herculei celsa tulit arce Monœci
  Roborei Marie Virgo marita Viri.

Quæ manus hunc celsa'ue Gnido, Aegyptiue lacunis
Dicteo'ue alitum littore dissecuit?
Nempe Venus certis gnatum armatura sagittis
Hunc Fortunato vulsit ab Oceano.
Scilicet hoc multos hominum, multosq; Deorum
Fixit amor, multa hoc regna subegit amor.
In te unam o Marie clypeum obiectante Minerua
Irrita erant, ualidi tela superba Dei.
Namq; in te quotiens contorserat illa cupido,
Frangebas molli spicula dura manu
Inq; alios usus Calamosq;, hamosq; trahebas,
Arma Deæ Veneris Pallados esse iubens.
Sed medicata manum furtim fallebat harundo;
Et tua nescio quis Corda subibat Amor.
Dumq; notas Milto'ue linis, atro'ue liquore;
Et liquor, & Miltus uirus amoris erant.
Roborei siquidem facies generosa Mariti.
Vt uisa, ut placita est, utq; petita simul.
Iam bene habet; tuus est, tota quem mente uolebas.
Nil habet ulterius, quod petat alma Venus.
At mihi nunc cessit Calamus iam deinde futurus
In scriptis Genius, uitaq;, amorq; meis.
Numen habet, uiresq; aliquas, nec fallor, amoris.
Diuinum afflatum sentio, numen habet.
Vt taceam quanto nitidus fulgure coruscat;
Partim auro, partim sanguine tinctus ut est.
Leuis ut, & rectus, teres, osseus intus & extra;
Vtq; etiam abraso cortice durus erit.

Vt quamuis alte scissus acceperit ictum,
Ingeminet pictas nulla litura notas.
Forte mihi e manibus non sponte excussus, Aceruam
In Mensam incolumi cuspide fixus erat.
Plus libuit tentare, itidemq; infractus inhæsit
Roboreis ualuis, fraxineisq; abacis,
Sed nihil hoc; tanto digitos ardore, manusq;
Incitat, ut uires suscitet ipse labor.
Nocte, dieq; amplis Chartis quo plura repono;
Nunquam defessus ponere plura uelim.
Hoc ego crediderim Phœbum, doctamq; Mineruam
In fatis usos carminibusq; Deum.
Scilicet ipsa tibi ingenuas cum traderet artis;
Agnouit nodi Vim Dea magna sacri.
Ergo illum ipsa suis digitis hinc inde cecidit,
Mordaciq; aciem pumice perpoliit.
Hoc tu me tali donasti munere Virgo
Inclyta, Roborei spesq;, decusq; laris.
Pro quo, si grates nequeam tibi soluere, saltem.
Si mea quid poterunt carmina, semper agam.
Salue igitur, duresq; diu cœlestis harundo
Culta mihi, & doctis deueneranda uiris.
Tu castum inspires ignem, tu laudis amorem
Tu genium scriptis, tu decus addemeis.

Ad Augustinum Beatianum de Lasci= uia Zephyreæ.

DEceßisse animo si nostro poßit Ianthis;
Mens mea si poßit non memor esse sui.
Dum Taurinenses peragro cum principe campos
Aspiciens oculis omnia grata meis.
Siue Padus longo superatus ponte iubetur
Hic parere innumeros, quos alat unda greges.
Seu Moncalerij Ammineis iuga læta racemis,
Atq; oleis toto tramite culta uirent.
Seu Chareæ geniale solum, lætæq; choreæ
Sumptaq; de castis oscula Virginibus,
Seu uicina placent Arua, & palatia gentis
Roboreæ, Vici splendida tecta Noui.
Seu procul accedam ad Cuneos, arcemq; superbam
Accipitrum, ad fanum siue Salutis eam.
Pinifer unde alto Vesulus se uertice montes
Fert super Aethereos, Eridanumq; uomit.
Eridanum magno erumpentem gurgite, eundem
Nescio quo elapsum sub loca cæca metu.
Mox iterum audentem cœlo se credere; postquam
Rura Cabureæ Rupis amœna uidet.
Seu media placuere niues æstate per Alpes
Calcatæ, circum quæ iuga cuncta premunt.
Siue alij Colles, positæq; in collibus arces,
Siue in planicie castra opulenta iuuent.

Formosas inter, quas hæc habet ora puellas,
Omnibus hæc inquam fertilis ora bonis,
Me Zephyrea Noui Vici decus attrahat una;
Vna mihi placeat sola sit illa mihi.
Qua nihil hisce oculis Lepide Augustine repertum est;
Quod magis illectet simplicitate sua.
Seu Lacedæmonios, qui mos hic plurimus, orbes
Lubricet, ad numeros docta mouere pedes.
Siue hilari, & lepido arridens lasciua cachinno
Misceat exprompta pocula iussa manu.
Siue arguta canat, seu mollia porrigat ora:
Dulciaq; impresso Basia dente notet.
Seu gremio suscepta meo det brachia collo.
Phœdre tua uenia, pace Camille tua.
Quandoquidem hæc eadem patrio de more pependit
De Pucci collo prodiga nequitiæ.
Qui Taurinenses nunc inuitatus in ædes
Roborei carus Præsulis hospes erat.
Puccij, quem magnis Princeps de rebus ad omnes
Legatum Reges misit ab Vrbe Leo
Castum hominem, quem fama negat muliebris amictus
Interiorem unquam contuitum tunicam.
Hic tamen a nostra Zephyrea suauia sumpsit,
Taurino tota conspiciente iocos:
Et mox centum alias media complexus in aula
Tercentum accepit Basia, totq; dedit
Laudaruntq; omnes urbana in fronte benignum
Hospitem. Ego infelix qua fugere arte queam?

Vsq; adeo blandis me moribus alligat illa,
Illa adeo facies imperiosa mihi.
Blanda quidem, ut maneam; sed si discedere tentem,
Indignata meas raserit ungue genas.
Ah quotiens laceros inueni in pectine crines;
Quos ea uel populo sæua uidente scidit.
Sæpe meos etiam huic libuit mordere Lacertos,
Collaq; & audaci dente notare cutem.
Sæpe oculos digitis elidi uisus adactis.
Sæpe mihi excussus nare dolente cruor.
Mox lasciua omnes rixas in ludicra mutat
Mobilis, & lacrymans in mea colla ruit.
Da mi Basia, da mi amplexus, da mihi guttur
Sponte ait, o anima, o spes mea, uita mea.
Atq; ubi liuentes nigricant per brachia næui,
Defricat inflictas Blandula lingua notas.
Si cruor, appreßis exsugit uulnera buccis,
Collacrimansq; meo mæsta dolore perit.
Tunc liceat solidas tractare impune papillas,
Quæq; latent scisso membra aperire sinu.
Atq; illam uirides reuolutam sternere in herbas
Atq; comis totas implicuisse manus.
Sed tamen impuri hæc faciant, aut miles ineptus;
Phœbus enim Vates iußit habere modum.
Perq; lyram, argutosq; modos conquirere amicas,
Concordesq; animas, unanimemq; fidem.
Suauiolisq;, & blanditijs producere amores;
Nec uiolare acri dulcia mella lue.

Sic Latium bene amat, neq; uitam fœdat amando;
Me latijs alitum moribus esse iuuet.

Ad Claudium Ptolemæum Senen. Ianthin abalienatam a se esse dum peregre est queritur.

Illa diu nobis illa optatißima tandem
Oblata est oculis Cara puella meis;
Quam per inacessas totiens clamauimus alpes
Allobrogum, & Valles nix Moriana tuas.
Quamq; nec ulla tacet Taurina per arua; uadosum
Quæ circumsurgit Populus alta Padum.
Quam Vesuli pineta canunt inscripta reciso
Cortice, & Herculeæ saxa odiosa uiæ.
Testis erit Rhodanus, testis mihi Iura niualis;
Quam latio totiens assonuere sono.
Quas ueniente die, quas decedente querelas
Audierint, gemitu feruida uerba graui,
Hespere Ianthis ubi est? ubi nostra est Phosphore Ianthis?
Spes mea, melq; meum, lux mea Ianthis ubi est?
Reddite me o superi Romano reddite cœlo;
Quandoquidem Romæ uita, salusq; mea est.
Vilibus, o, pascar pomis, & Tybridis unda.
Lote uale, ualeant Ambrosia, atq; Fauus.
Hic ubi ducta uno spirant tria numina saxo
Anna Auia, & Mater Virgo, puerq; Deus,
Aegidius magni arcani tria liba Sacerdos
Sponte reus nostro nomine sancta dabit.

Dumq́; ego procumbam ante aras damnatus, habebit
Dijs exauditas picta tabella preces.
Sim Romæ, incolumen aspiciam, saluamq́; puellam,
Sim Romæ, Romæ spes mea, corq́; meum est.
Quid tamen has passim iuuat effudisse querelas;
Quæ faciles traherent in mea uota Deos;
Et genibus Diuum faculas, & cerea dona
Quid iuuat altari corde tulisse pio?
Siue Cameriacum, ad Sudaria sancta, petebam;
Siue per aerias Claudia Templa uias
Vsq; adeò ne genus pennis mortale sinistris
Quæ fugienda petit, quæq; petenda fugit.
Præstaret multo ignotis latuisse sub antris,
Aut Vesuli, aut Belgis, Helueticisq́; iugis.
Quam redijsse, & ubi fuerat spes illa salutis,
Aspicerem exitio cuncta parata meo,
En redij: incolumem aspexi saluamq́; puellam;
Sed non illa mihi salua, nec incolumis.
Verum alijs. namq́; illa mei facta immemor, illos
Posthabuit mores, qui placuere prius,
Omnibus inscripsit patulas uenientibus ædes;
Si modo quis grauidas afferat ære manus,
Ast ego scilicet hoc potuissem fingere crimen,
Temneret ut famæ præmia castus Amor.
Et nunc de Libris orietur fabula nostris;
Improba tu, & mendax heu modo dicar ego.
Quid Leo, quid Proceres dicent, quid docta iuuentus
Iudicio quorum cepimus esse aliquid,

Admittiq; ultro multarum ad pondera rerum;
  In leuibus si me ludier audierint.
Ecce meo ridet traducto nomine Vulgus;
  Atq; ait hic ille est, qui bene fidus amat.
Qui superasse alios modo se iactabat amantes;
  Qui se unum aiebat noscere quid sit Amor.
Deniq; sim scortum deprensus deuium amare;
  Et factus tota ludus in Vrbe Remi.
Hanc ignominiam, hæc dispendia temporis ultra
  Me miserum usq; adeo lentus, inersq; feram?
Cur non insanum feruens domat ira dolorem;
  Vt ualeam liber frontem aperire semel.
Sic mea simplicitas astu decepta, doloq; est?
  Sic meus unus amor, sic mea firma fides?
Verum heu heu misero, ut lachrymæ uolunntur inanes
  Mi Ptolemæe, meì conscie Amice mali.
Quo mihi non alius quisquam sapientior aßit;
  Siqui ope, cōsilio siqui eguere tuo.
Nam siqua auxilium potis est prudentia firmum
  Afferre, integritas, hoc tua præstiterit.
Vulnera sed mea sunt multo maiora, fatemur,
  Quam medica ulla queat me releuare manus.
Nam queror in totam repetito hæc murmure noctem,
  Mane fleo, pacem posco · iugumq; fero.
Sic maculas fluctus Neptunius eluit omnes;
    In bene sed lotos mox re-
      fluunt maculæ.

Francisci Roborei Præsulis Taurin. Desiderio Ad Petr. Andream Gammarum Bononien.

CAmmare quis neget esse mihi nunc saxea corda?
Scilicet, & calybe durius ingenium.
Qui nequam precibus ite deposcente moueri,
Aequa uelim ut studijs reddere uerba tuis.
Nulli autem solitus non respondere carenti
Versibus, & totos continuare dies,
Nunc uti perculsa mihi quis ceruice uigorem
Extuderit, mentem disbuleritq; uagam
Attonitus nihil Agnosco, citharasq;, modosq;
Musarum credas insolitum esse mihi,
Quod nisi me ad numeros tua carmina culta lacessant;
Qualia de nostro nomine sæpe canis,
Certe Amor, atq; animi candor, tuaq; inclyta uirtus
Incitet, & calamos aptet, & ora regat.
Quid nam, iniquis, lacrymæ, nisi quod mœroris alumnæ
Arbor enim ut pomum, mœror alit lacrymas.
Tollentur lacryme, mœrorem tolle; tuum est ius,
Seu gaudere iuuet, siue dolore uelis.
Quod si ille possent ullos releuare dolores
Quid magis aßidue quam lacrymare, uelis
Vel si ulli auxilio miseris in casibus essent,
Nullum aurum in precio sit tibi præ lacrymis
Verum heu heu duro mens expugnata dolore
Deficit, & uires subruit usq; meas;

Cordaq; ab immani sunt anxietate peresa;
Nec mihi luce ulla est, nec mihi nocte quies.
Vsq; adeo Phœbi, & Musarum poenitet, ex quo
Roboreæ cecidit famaq; honosq;, Domus
Franciscus; quem nulla dies, dum uita manebit,
De lacrymis demet, mœstitiaq; mea.
Tanta oculos morte hac feriunt incommoda nostros;
Quo mea spes omnis fracta cadente cadit.
Non hæc quotidie parcis bona habemus ab astris.
Talem hominem raro sæcula auara dabunt.
Nec mea tantum angit me causa, sed omnium iniqua
Sors mouet, & populi publica mæstitia.
Namq; unum huic studium fuerat mortalibus esse
Præsidio; humanum surrigere omne genus.
Magna loquor, sed uera tamen, resq; ipsa fatetur;
Et locuples tota testis in Vrbe mihi,
Quos ego, qui illius fuit in me Amor, & fauor ingens
Ornarim studijs, officijsq; meis.
Huius erat rerum tantum appellare potentes;
Iudicij fuerat proposuisse mei.
Præfectos mea cura dabat, mea cura Tribunos;
Vt quisq; ingenio, & moribus auctus erat.
Nunc mea amicorumq; redit Fortuna retrorsum;
Quiq; aliquid fueram, iam nihilum esse ferar.
Sic digiti modo quid minimum, modo millia reddunt;
Distat enim hæc numerum prodat, an illa manus.
Hos Fortuna facis ludos. tu tollis in altum,
Moxq; premis, stabilem nescia habere pedem.

Siccine sola tibi est animos lactare uoluptas
Mollibus insidijs, compositisq; dolis
Te ne manu dulcem cupido ostentare placentam?
Saxum autem dextra delituisse tua?
Me miserum, quo nunc deiectus Principe tanto
Me uoluam, aut qua me præcipitem e specula?
Iniucunda quibus uita est, cur Viuere quærant?
Sis nisi, quod fueris, cur etiam esse uelis?
Tu mihi Epictetum, ueteremq; Philemona ponis;
Atq; omnes una naue uehi repetis.
An ferus usq; adeo fuerim, ne in funere Amici,
Tam magni ex imo pectore dem gemitum
Dem lacrymas, laceremq; genas, scindamq; capillos,
Atq; in me nil non lugubre semper eat?
Non ego sum dura genitus de caute, nec ullus
Præcinxit ferri pectora nostra rigor.
Sensus inest, cordiq; meo; membrisq; uigentem
Esse meis uitam sentio, læsa dolent.
Dulcia, nec fallor possum discernere amaris;
Nec me hominem inficior, deq; homine esse satum.
Non sapor, aut dulces Cantus, nec amœna uoluptas
Vlla ferant, iustus si dolor obstet, opem.
Ne tanto in desiderio tabescere cogar,
Ne mouear, ferro membra secante, Lapis.
Sint qui Naturam dictis euincere tentent;
Res male si cedat, dicta, animusq; labant.
Vita humana fuit semper cognata dolori;
Imposita est humero sarcina cuiq; sua.

Hæc tantum occurunt tacito meditanda susurro;
Ignoratq; alios mœsta Thalia modos.
Sed quoniam hæc meminisse, grauem est renouare dolorem,
Desinam in hac semper tristis amaricie.

Ianthin male Audire dolet, eamq; amice admonet erroris.

Hæc ego crediderim, quæ de te Rumor Ianthi
Dispergit? uulgo claustra patere tua?
Quæ prius appensa fuerant testudine casta,
Siccine sunt turpi peruia nequitiæ?
Scilicet, & uarijs discursibus ire per Vrbem
Te fama est, nec te uestis honesta tegit.
Matronis proprium Romanis candida Vela
Ferre imos summo a uertice ad usq; pedes.
Et faciem in primis illa uelare figura,
Qua Veteris picta est forma Pudicitiæ.
Cur autem longos tribuit natura capillos
Virginibus; nisi quo pectus, & ora tegant.
Tu non digna tuo geris ornamenta pudore;
Deq; habitu prodis quæ tibi mente latent.
Nec Vetula is comitata proba, uelut ante solebas;
Sed Iuuenum stipant turba petulca latus.
Nec iam Palladij uisuntur templa recessus;
Sed fora, sed circus, prataq;, & arua placent.
Pro Circo satis Aula probis; Horti ue propinqui
Meta, FORES clausæ, uel penetrale adytum.

At tibi siqua super casti scintilla Caloris
Olim erat, hanc gelidis Læna profundit aquis.
Ausit Læna igitur castum tentare pudorem?
Læna ullum ingenuo ius in Amore uolet?
Felle unquam Ambrosiam hanc uitiari, hoc nectar aceto
Crediderim? o nullis rebus habenda fides.
Pallada nunc Amathunteo pro littore turpem
Crediderim foedis æs meruisse lucris.
Atq; in secessu nemorum nunc sponte Nouercæ
Crediderim Hippolytum furta petisse suæ.
An potius mihi te quisquam male detulit hostis;
Qui male fert dulci nos in Amore pares.
Quin ego met uidi, ac utinam me fallere possim;
Quæ referens mendax uel mihi Phœbus erat.
O me infelicem, hunc potui sperare dolorem;
Spes mihi cum fueras prima Pudicitiæ.
Cum mihi iurabas nil quidquam tale timenti;
Per caput, atq; oculos hos proba semper ero.
Et tamen hij subito mores abiere pudici;
Illaq; tamen celeri spes mea rapta noto est.
Et merito, quid enim potui te linquere Romæ;
Si sagulum in promptu, & læna uirilis erant.
Quis te mentirer iuuenem, gnatum'ue, nepotem'ue
Aut aliquem a manibus, a cithara, a pedibus.
Nil adeo insulsum est mortalibum, aut ita ineptum;
In quo unus ueniam non mereatur Amor.
Desipere huic licet, huic licet insanire, neq; ullus
Riserit, ipse Plato, siue Anacharsis amet.

Cur ego rumores , ubi læsa est uita , timerem?
Vitam alijs, demas , ut tueare tuam .
Omnia sed fuerant tentanda , obeundaq́;, Ianthis
His modo uel punctum ne resideret agris .
Scilicet hic nihil esse probum Clearista canebat
Cana Anus , & multos hic operata dies.
Nempe hominum,memini,solita est,morumq́; bonorum.
Dicere, Roma fuit semper acerba lues
Sed neq; Roma tibi nocuit, cœlum'ue, locus'ue
Vllus , at ingenio facta scelesta tuo es .
Roma eadem magnis uirtutibus admiranda ,
Roma hominum , & morum nobilium alma parens.
Falso tuis culpes alienas moribus Vrbes ;
Si proprio ipse libens de lare probra geris.
Terra eadem lolium profert , frugesq; salubres ;
Arbitrio prostant ignis, & unda tuo .
Intererit si praua tibi,si recta uoluntas ;
Quisq; sibi impulsor , quisq; Magister adest .
Nec te paupertas ,uti multas , impulit ; ipsa
Te siquidem uetuit Mater egere tua,
Cum tibi in Vrbe domus , cum Rus sat grande sub Vrbe
Legatum,& firmus pascere fundus erat .
Accessere meo de munere multa , tacebo
Quæ fuerint , ne me pœnituisse putes .
Omnia quæ in tunicas temere effunduntur Eoas,
Vnguenta,& gemmas , luxuriæ omne genus
Quin etiam aurato Reginarum instar amictu
Vteris , & magnum , conspicuimq; putas

Nec roncos hominum metuis crepitantiaq; ora,
A tergo, inq; oculos, in faciemq; tuam.
Nec tua te malefacta mouent, nec murmura famæ.
Nec qui dilacerat pectora nostra dolor.
Sed quid agam? repetamne alpes? & saxa rigentum
Allobrogum infausto bis seperata pede.
At qui, quod nostri restabat muneris, actum est;
Iam Philiberta sui Principis in gremio est.
Verum ego, dum Domino illa meo connubia curo,
A Domina excludor protinus ipse mea.

Ad Io. Mathæum Gybertum.

QVo plectro benegrata Erato, qua uoce Gybertum
Nunc celebrare paras, qua resonare chely?
Quis mea pagaseo perfuderit ora liquore?
Quam mihi supponet Phœbus Apollo facem?
Vt possim meritos ueræ Virtutis honores
Pandere, nec fictæ tendere Laudis iter.
Ille suis clarus meritis, & moribus ille
Inclytus, ille suo nobilis ingenio.
Vnde autem incipiam puer ornatissime, finis
Qui nam erit, & quo nam meta secunda loco.
Scilicet ista tuæ Virtutis gloria, nullo.
Qui duce sponte tibi feceris ipse uiam.
Vnde omnes ita te colerent, tuq; omnibus unus
Esses grande decus, præsidiumq; bonis.
Ante autem ut summo quisquam coleretur honore
Summa fuit summis laus placuisse Viris.

Vidimus atque de te Reges certare potentes
Ante alios cuius tu tuare decus.
Nam tibi Pannonius credit ſua commoda Princeps.
Te rogat Henricus rebus adeſſe ſuis,
Te Proceres Veneti numero optauere ſuorum.
Te primum a ſummo Principe Roma colit.
Ipſe autem, Imperio totum qui amplectitur orbem,
Cæſar habet per te quæ benefacta probet
Gallorum Rex armipotens Franciſcus amorem
Summum in te largo munere teſte docet.
Quid reliqui? Vix eſſe unum toto orbe putarim.
Quem tu non libra faxis, & ære tuum.
Quam te autem cuncti ſponte admirantur, amantq́
Auxilio ſiqui non eguere tuo.
Quod tibi cunctarum iuueni Prudentia rerum
Rerum, quotquot ad hanc uſq; fuere diem.
Seu quod agendum inſtat ſapienti examine pendis.
Euentura autem quam prius ante uides.
Siue regis populos, & ad aurea ſæcla reducis
Legibus, exemplo, moribus, arte, modo
Seu tete exploras, & te componis ad unguem
Vt nihil, ex ulla parte, quod obſit, agas
Omnibus, & uigeas numeris perfectus, & omni
Pectora præniteas candidiora niue.
Seu gaudes proprio tot opes ſudore paratas
Non ullum in luxum, delicias'ue frui.
Sed genium aſſuetus fraudare, tibi inuidus uni
Pauperibus largas porrigis uſq; manus.

Quid memorem longasq́;,uias, durosq́; labores;
Erumnasq́; grauis, insidiasq́; truces.
Dum cladem Italiæ anteuides, & iniqua potentum
Consilia euertis mente, animoq; Vigil.
Pro Domino, & Romæ pro libertate, paratus
Vitam ipsam immiti supposuisse neci.
Fortunæ demum quot tela inimica furentis
Constanti, & forti pectore pertuleris.
Vt quotiens blando tibi læta adriserit ore
Virtute, atq; modo cuncta minora Putas.
Qualianam fando ut memorem permulta, uidebor
Plurima de titulis præterijsse tuis.
Verum alij, sua quisq; canat, quæ splendida norunt.
Qua me parte ornas semper ero ipse memor.
Nempe ego Taurino deiectus Principe in auras
Emicui meritis, auxilijsq́; tuis.
Tu facis ut Cathedræ Romanæ digner honore.
Tu studijs affers otia, opemq́; meis.
Me Domino Regiq́; tuo officiosus Iulo
Commendas, caros inter, & esse facis.
Qui uariæ quod me pellis decorauit honore;
Belluni sacris præposuitq́; choris,
Et regere adiecit patriis in collibus ædem
Castalionæam, munus, opusq́; tuum est.
Quando igitur meritis alia ratione tot esse
Par nequeo; & nostras munere uincis opes,
Non ero non animi parcus, neq; parcus amoris;
viue ergo, & nostri munera amoris ama.

PIERII VALERIANI BOLZANII AMORVM.

LIBER QVINTVS.

ILLVSTRISS. FRIDERICI MANTVAE DVCIS NATO FILIO PRIMOGENITO EXVLTATIO.





Ffulxit tandem alma dies, quam Mantua uotis
Pluribus, & multa es poscere uisa prece.
Editus in lucem Puer est, felicibus opto
Auspicijs, fausto Sidere, Forte bona;
Inclyta Consago tibi quem de Principe coniu
Protulit, a summo munera missa Polo.
Thura igitur plenis Panchæa urantur acerris;
Nulla superstit egens luminis Ara sui.
Huc florum omne genus, genus omne halantium odorum
Quoquid Idumei, quidquid habent Arabes,
Limina curuatis onerentur tota corymbis;
Paßim hedera ingreßus ambitiosa tegat.
Pergite, adest Genius; cui dextram Laurus inumbra
Delphica; sed leuam copia diues habet.

Tum Cytherea comes, lætiq; sequuntur Amores,
Et frontem, atq; sinus Gratia onusta rosis.
Iamq; Lyræ, moduliq; aßint, & amoena sepellex
Musarum, intonsi plectra canora Dei.
Explicet Euterpe quot habet discrimina uocum,
Seu fide, seu calamo, seu uarium ore sonet.
Conueniant Nymphæ tota Benacides ora,
Hinc pueri impubes, hinc chorus esto senum.
Vt totam axhilarent concentu, & plausibus Vrbem,
Præq; ferant animi gaudia uera sui.
Clare puer, Generose puer; cunabula cuius.
Omnibus attulerunt lætitiam, atq; iocos,
Nomine Auum referas, Atauos uirtutibus omnes,
Et morum eximia nobilitate Patrem.
Viue diu, de teq; diu solatia sumant
Intima uterq; Parens, Mantua, & Ausonia.
Sis populo lex uiua tuo, qui te auspice discat
Viuere, & officij sit memor usq; sui.
Quandoquidem morum, uitæq; exempla decoræ
Expedit a magnis sumere Principibus.
Quod Princeps claris celeber uirtutibus orbem
Fortunat, quantum pes premit, ambit aqua.
Nec tibi de magnis deerunt exempla Magistris,
Illustresq; hodie quos imitere Duces.
Vt taceam laudes, præclaraq; facta tuorum;
Qualia de antiquo Stemmate multa leges.
Optimus ecce tibi Pater est, Prudentia cuius
Te doceat quæ sint Principe digna sequi;

Qui, uel adhuc primis dum tu uagitibus auras
Imples, de ſtudijs cogitat alta tuis.
Virtutem ut cum lacte bibas, pariterq́; Latino
Nectare alare puer, melleq́; Cecropio.
Et tibi iam uideo prima de claſſe diſertos
Affore, Doſtrina, Moribus, Arte bonos.
Inde alia, atq; alia accedent creſcentibus annis;
Qualia nam luci proferet ipſa Dies
Siue bonæ ſtudium pacis crudelibus armis
Prætuleris; pacis laude beatus eris.
Hanc coluit genitor, teſtis Puluinar, & Ara;
Aurea, quam pingui Copia meſſe premit.
Sin res bella feret, nam bellum ſæpe gerendum eſt,
Tranquilla ut poßis deniq; pace frui;
En Patruus, qui te inſtituat Fernandus, alumnus
Cæſaris, hoc laudis ſub Duce carpito iter.
Ille etenim tanto ſub Principe fidus Achates,
Quid poſcat uirtus bellica ſcire poteſt;
Nam quem non animis, & factis excitet ipſis
Carolus inuictus, Carolus armipotens.
Qui noſtrum infra orbem ignotum ſibi ſubdidit orbem,
Atq; pedes noſtris oppoſitos pedibus;
Qui Mauros Totiens afflixit, & expulit ora,
Barceasq; arces diruit indomitas.
Mox etiam in turcas trepidum properabit ad Iſtrum,
Lætaq; glandiferæ Paſcua Pannoniæ.
Nondum in conſpectu aſtiterit cum protinus hoſtis
Territus admißis retro feretur equis.

Hiis inquam atq; alijs, toto quæ uictor in orbe
Geßit, & insigni plurima laude geret.
Gaudebit Patruus te multa docere, quod illa
Viderit, & Socio cuncta labore iuuet.
Parte alia maternus Auus, non segnior, in te
Virtutem accendat, sollicitetq; tuam,
Gullelmus, Dux magnanimus, clarißimus Heros
Fortunam totiens cui superare datum est,
Ille ille Ancisæ tandem expugnator iniquæ;
Præpete quo penna nulla tetendit Auis.
Ille ferorum hominum domitor, uindexq; bonorum;
Quo melior nostro tempore nullus erat.
Adde quod ingenium studijs decorarat honestis;
Spem tantam sed mors inuida præripuit.
E tali prognata Viro tua candida Mater,
Inclyta constantis fama pudicitiæ.
Quæ te gestauit Soles emensa trecentos;
Et Genito lactis munera prima dedit.
Quæ merito collata prioribus Heroinis
Incedat nullis integritate minor.
Sed quid Atestini sapientia Principis, unde
Nunc tuus Herculeum nomen habet Patruus,
Vnde auia illa tibi doctis Isabella camœnis
Dedita, & Aonijs adnumeranda choris.
Clara nitore Viri, Natorum clara decore,
Clara suo. & tali nobilitata Patre.
Qui iuuenis motus tantos, tantosq; tumultus
Pertulerit, saluis rebus, & Imperio.

At postquam insultus Bellorum contudit acres
In placida reliquum pace peregit iter.
Italiam Imperijs grauidam quo tempore fouit
Arbitrio innixam, consilijsq; suis.
Sospite quo, nulla illuuies de montibus orta
Barbaricis Latium depopulata solum est.
Vt perijt, periere quies, Pax, otia; & omnem
Ausoniam indomitæ diripuere feræ.
Nec minus Alfonsus genitoris Auunculus urget,
Siue iram Iulij, siue Hadriæ arma cauet.
Dura pati solitus, durando uincere, semper
Tot diris rerum casibus expositus;
Quem nullæ mouere uices, quem nulla laborum
Terruerit facies, intrepidum, indomitum
Vt rupes medio in pelago, quam plurima Venti
Plurimaq; undarum uis inimica petat.
Illa immota manens; atq; inconcussa procellas
Dißipat; & nulla territa sorte uiget.
Nec minus a geminis tanto de Principe Natis
Discere quid uirtus, quid sit honoris Amor
Iam poteris, quod uterq; uiam, quo splendida ducit
Gloria, non segni corripuere pede.
Magnus uterq; animis, doctrina clarus uterq;
Dignus uterq; ausis quos imitere tuis.
Quorum alter summa celeber uirtute, superbum
Obtineat sceptri Ferrariensis ebur.
Aonias etiam Musas, Phœbumq; sequutus
Fortia Maiorum pangere facta queat,

Victurus, seu magna canat, seu pectine molli
Mentem, animumq; iocis exhilarare uelit.
Nec minor Hippolytus doctrinæ insignis amore
Et celeber cultu docta Minerua tuo.
Semper honoratas operosa negotia curas
Suscipiat, Regum consilia alta sciat.
It meritis Præsul decorandus honoribus, olim
Sarrano incedat Murice conspicuus.
His tuus ille etiam numerandus Auunculus esset.
Præclarus tantis dotibus ingenij.
Quem iuuenem egregium, insigni uirtute decornm,
Tam sæua abstulerunt inuida fata manu.
Sed prohibet me Musa loqui, ne gaudia rumpam
Publica, ob eximii funera acerba Ducis.
Ipse autem Franciscus Auus se splendidus offert,
Qui bella, & paces te gerere addoceat.
Quem Tarrus, quē Lyris, & Aufidus arma mouentem.
Sanguineis totiens obstupuere uadis.
Grataq;, quid posit Prudentia iuncta labori,
Italia est multis testificata locis.
Libera quæ placidos uixit mox tuta per annos,
Atq; ideo Musis dedita tota fuit.
Ingenia hinc claras se se excoluere per artis
Vt nil sit dignum nomine præteritum.
Inuitabat Auus donis, quos fouit, & auxit,
Vrbsq; ornamentis omnibus enituit.
Quid memorem è ludis uictrices Mantua palmas,
Quod tibi dant proprium tempora nostra decus.

Vt

Vt nusquam Hippodromi coeant certamina clari
Freno uno (mos hic nunc tuus Italia est)
Vnde Bianorei forti uirtute Celetes,
E missi, palmæ non tulerint precium.
Mille coronarum dulcissima dona per Aulas
Sunt tibi; Quadrupedes quas retulere tui.
Non tamen aut funebre Apium, aut Oleaster amarus
Quæ'ue adeo uilis Bacca beauit Auos.
Integra sed texta, & centum porrecta per ulnas,
Puro auro, & signis aspera, dona tibi.
Auro Aræ hinc omnes, auro Aedes, Atriaq; auro,
Aurea Porticibus Mantua tota nitet.
Quod tibi si studium hoc fuerit, noua Templa uouendum,
Non capiunt ueteres munera plura tholi.
Sic adeo tibi læta puer, tibi fausta parantur
Multa. Sed unde dies uersa repente tonat?
Vnde Patris frons læta parum; Nam tempora nubes
Occupat? An Manthus ueridicum augurium?
Ergo tibi immineant cœlo que incommoda pandam,
Tu conniuentis respice signa mali.
Ante renascatur quam dens tibi firmus in ore
Gustanda amissi Patris amaricies.
Hæc rata fatorum lex est; ubi læta redundant,
Surgat ut è dulci taxus amara fauo.
At Generose Puer ne ne hæc te fulmina turbent.
Sitq; animus, sit mens indole digna tua.
Non aberit dulcis Patruus iam iam inclytus; ostro
Cui Tyrio tinctus nobilis extet Apex.

In te curando Patrij qui iura laboris
Suscipiat, summa te pietate fouens.
Te doceat quæ Principem agant; iustumq́;, piumq́;
Proponat, uetitum nil facere atq; loqui;
Tum Phœbum in primis dulcesq́; adamare Camœnas
Atq́; ornare bonis artibus ingenium
Quo manifesta tibi sint rerum euenta, uicesq́;,
Quæ fuerint, quæ sunt, quæq́; futura meant.
Quo sapere, & fari poßis quæ senseris, & quæ
Senseris a iusto sint moderata bono;
A Brutis quid distet homo, quæ semita inerti
Secernat populo nos, numeretq; Deis.
Hæc Patruus procurabit, tuaq́; optima Mater
Accedet tantis prouida in officijs.
Et populum tot delicijs luxuq́; fluentem
Corrigat, & doceat uiuere lege data.
Fœmineasq́; ultra uires prouecta regendo
Vrbem omnem exemplis instruat utilibus.
Tu facilem inde uiam, strato iam tramite, carpes,
Omnia erunt pedibus peruia & æqua tuis.
Nec uero hæ sine mente datæ, sine pectore dotes,
Quas tibi nascenti fata benigna parant.
Illa quidem præclara tuæ dant Semina menti,
Aucta dabunt Patruus, Stemmata, Mater, Aui,
Et tu conspicuos unquam dubitabis honores
Aggredi, & ingenio præmia parta tuo.
Non ita; Nam Patrui Alcidæ uestigia primum
Sunt calcanda tibi, quæ docet ille, cape;

Fortunate Puer Patruo hoc, tu protinus illum
Audieris; quouis Principe maior eris.

Ex Tyrtæo Militaris Adlocutio. Ad Nic. Cordatum Iur. C. Nepotem suum.

CArminibus Vatem Tyrtæum in martia bella
Vulgatum est animos exacuisse mares.
At tu, Cecropiæ cui non data copia linguæ,
Romana cuperes uoce ea percipere.
Qualiaq; ille tuba fertur cecinisse canora,
Exprimere affectas me stipula illa rudi.
Cyprin, apelleo quæ Viua est picta colore,
Ex Carbone iubes reddier exanimem;
Care Nepos, quid agas, reputa, dum consulis uni
Tu tibi, Tyrtæum, meq́; uides ruere,
Illi, maiestas quod demitur, ipse quod ausim
Me indocilem magnis uatibus inserere,
Quidquid enim clam quisq́; domi in penetralibus ipsis
Dicat, agat, pleno est fabula nota foro.
Improbitas nugis talem fraudare Nepotem;
Stultitia è ludo ignominiam attrahere.
Ergo cautus eas, & postquam legeris ista
Tardipedi actutum da poliendа Deo.

TYRTAEVS.

Non illum aut memorem, aut studeā celebrare; Lacæna
Qui præstans lucta sit, pedibus'ue celer.
Non si Cyclopas membris, uel uiribus æquet,
Aut cursu uincat thraicium Boream.
Non si Titono faciem formosior ipso;
Et Cynara, atq; Mida si mage diues eat.
Non si Tantalida Pelope Imperiosior extet.
Non si Adrasteo dulcius ore canat.
Non si omnem attingat laudem, nisi Bellica uirtus,
Adfuerit. neq; enim Vir probus ullus erit,
Forti animo cedes nisi amet spectare cruentas;
Atq; hostem intrepido comminus ense petat.
Hocce hominum decus. Hæc sola, atq; unica uirtus;
Hoc pulchrum est Iuueni non timuisse Viro.
Quandoquidem ignauo non estis sanguine creti;
Sparta etenim uobis Patria, Sparta genus.
Quare agite inuicti gens Herculis arma parate;
Atq; animum tanto sumite honore parem.
Fidite, non etenim auerso uos Iuppiter ore
Aspicit, at recto lumine facta probat.
Nec numerum subito quisquam terrore pauescat.
Iam iam age quis scutum primus in arma ferat.
Hanc animam exosus præclaræ mortis Amore;
Quæ sit clara magis lumine Apollineo.
Nam quam sæua micent lacrymosi exordia Martis
Nostis, & irarum tristia facta trucum.

Nam fugere, atq; sequi didicistis, tempore utrunq; ;
Lassarunt uariæ sorte in utraq; uices.
Iam qui conferti conserto in Marte resistunt,
Nec trepidant iuncti primam aciem atterere,
Pauci obeunt, seruantq; alios, qui terga sequuntur.
Qui timet, huic uirtus nulla fauere solet.
Nemo autem expediat fando quæ probra parentur
Ignauis. & quam fœda necesse pati.
Nonne graue in tergum cedi? turpe, atq; nefandum
Hostili aufugiat siquis ab ore tremens.
Nonne ignominia est terræ abiecisse cadauer
Transfossum retro cuspide dorsa leui.
Prægressus sed enim maneat pede firmus utroq;,
Obnixusq; solo dente labella terat.
Dum femora, & suras, humerosq; umbone tuetur
Pectoraq;, & multo se boue tectus agit.
Dextera non cesset, ualido quæ prædita conto est,
Terribilem a summo uertice Cristam agitet,
Fortia facta gerat, doceat bellare, nec extra
Teli iactum absit, tectus ut est Clypeo.
Qui procul occurrat, longa feriatur ab hasta
Hinc ictus gladio Vir cadat ante pedes.
Mox pede pes, Clypeus clypeo agglomeretur, & ingens
Crista premat Cristas, & galeas galea.
Pectora pectoribus iungantur, & horrida bella
Misceat, aut hastis, aut gladio hostem agitet.
Mox Veles scuto tectus procul esto; molares
Torqueto, hic alia parte, alia ille sagax.

Leuia nunc Iacula, atq; sudes iaciunto, sub alis
    Armatorum hominum tecti animosa Phalanx.
Hoc patriæ commune bonum, Populiq; uoluptas?
    Ante aciem firmo si pede quis maneat.
Et ualide in medios penetret fortißimus hostes,
    Deteriusq; nihil cogitet esse fuga;
Sed uitamq; animumq; paret discrimen in omne
    Bellorum, atq; nihil non ferat ob Patriam.
Adiunctosq; sibi procumbere suadeat, auctor,
    Exemplo. in bellis uir bonus hic fuerit.
Hunc subito hostiles uideas uertisse phalanges,
    Et pugnæ fluctus arbitrio regere
Sed forte ante alios pulchris occumbat in armis;
    Vnde Vrbi, & populo sit decus, atq; patri
Dum Clypeum, & pectus non uno uulnere adactum,
    Arma icta innumeris anteriora Cauis,
Hunc desiderio iuuenesq;, senesq; sequuntur
    Ad tumulum. Res tunc publica iusta facit.
Ille Rogus, gnatiq; omnes insigniter aucti
    Et nati natorum, & genus omne uigent.
Gloriaq; haud unquam casura, nomen in æuum
    Omne manet. Viuit sit licet Exanimus.
Pro patria, & Natis durantem, & bella gerentem
    Quencunq; abstulerint fata seuera uirum.
Quod si sospes eat, mortemq; euaserit ipsam;
    Et uictor pugnæ præmia clara ferat;
Hunc Coluere omnes iuuenesq; & grandior æui,
    Qualiacunq; optet munera lætus habet.

Attigerit Senium, prælucet ciuibus, illum
Nemo in honore omni non reuerenter habet
Consessum accedat, iuuenes simul, atq; æquales
Et Seniorum ordo suscipiunt medium,
Qui studet ergo huius Virtutis tangere Metam
Hunc animum indutus bella fera usq; gerat.

Diuitum Amorem intolerabilem
Esse ad Ianthin.

TVn igitur sanctum potuisti abrumpere fœdus,
Subdita inhumani diuitis arbitrio.
Ah misera, heu quantos tentas ignara labores,
Nescia felicem quid sit amare uirum.
Sponte petis Maleæ scopulos, undasq; sequaces;
Sponte petis cautes perdita Cyaneas,
Ille tibi neq; mitis amor, neq; commodus unquam;
Sed grauis, atq; minax, et truculentus erit.
Vnguibus ah quotiens tunicas tibi scindet iniquis.
Ah quotiens laceras flebis inulta comas.
Quin etiam leuem signare nomismate frontem
Ausit, & infamem ducere in ore notam.
Gaudeat his alius; quem tu contempseris, & tunc
Soluet adoratis plurima dona Deis.
Verum ego tunc uidear duros Ixionis orbes
Voluere, & Isthmiaca spargere membra trabe.
Vsq; adeo miseror cui succensere deceret;
Quin precor ut uiuas, sis mihi iniqua licet.

Quin ego non dubitem Bacchi Patrensis ad Aras
Pro te, si sit opus, me iugulare sacrum.
Vt bonus, ah nimium crudelem expertus Amorem,
Victima pro Dominæ sorte Choræsus obit.
At si cauta fores, malles Regina timeri,
Quam dare seruitio colla premenda graui.
Thrax puer, indocilem nullo qui uindice uitam
Egisset, fertur sponte fuisse probus,
Ionium ut dulci pro libertate Tyrannum
Oderit, & quæ auri magna talenta dabat;
Inde sacros animo uates ueneratus honesto
Aeternæ meruit uocis habere decus.
Euenis poterat Phœbo nupsisse petenti;
Maluit hæc Idæ nubere uirgo pari.
Sit Medea procos terraq; Mariq; secuta;
Illa tamen magno est ausa negare Ioui.
Hinc Aræ natis positæ Iunone secunda;
Inclyta quas fuso thure Corinthus adit.
Cœlestesq; Deæ sæpe optauere minores
Pastor enim Anchises, Pastor Adonis erat.
Endimion quoq; Pastor erat, quem argentea Phœbe
De primo cœli limite lapsa rapit.
Et tu mortalis me dedignaris Amantem;
Qui tibi possum atræ claudere noctis iter,
Non morietur enim sed longa in sæcula uiuet;
Admittat uates siqua puella pios.
Ast alios quoscunque habeat famosa peribit,
Atq; obscura Chaos semper inane colet.

Nomen opes augere putas, hoc nomen abibit;
Nomen ab Aonia laude perenne manet.
Cum facie labuntur opes, labuntur amores;
Nec reperit fidos quæ malefida fuit.
Vidi ego quæ multos illuserat improba amantes
Irrisam ante sacras uendere Dona fores.
At quæ uni tantum studuit parere, ab amante
Hæres integro ex asse relicta uiget.
Pauper, uti iubeas alta de rupe ad humum se
Mittet, eritq; animæ prodigus usq; suæ.
Pauper in horrendi fauces intrare Draconis
Non timeat, uitæ ut consultat ille tuæ.
Thespiaca sic est per sæcla Menestratus urbe
Notus, & in cultu templa Saotis erunt.
Pauper amat uere, metui uult Diues acerbus,
Durat is, at leuius nil locuplete Proco est.
Mella etiam satiant, neq; dulcis ita ulla uoluptas,
Ne fieri poßit crastina amara die.
Vidi ego & ambrosia saturos, & nectare Reges
Cæpe olidum mensis appetijsse suis.
Vt fuit in patria iam sede superbus Iason
Noluit aurati uelleris esse memor.
Oblitus uitæ precio pactos Hymenæos
Armatasq; acies, flammiuomosq; Boues;
Quodq; Draconum animas Medeæ euaserat arte,
Colcha abeas dixit, mi noua Nupta uenit.
Quid non pro chara Briseide fecit Achilles
Quid non pro Domino grata puella suo.

Hic tamen a uicto sublimior Hectore factus
  Seruilem cepit suffugitare torum.
Atq; ita Regales animo concepit Amores;
  Quiq; erat hostis, amat nunc Priami esse gener.
Quid facis Aeacida? quos nunc meditaris Amores?
  Ah miser exitium diligis ipse tuum.
Illa'ne frater no madefactum sanguine pectus
  Sustineat gremio lenta fouere suo?
Scilicet ipse Pater Priamus crudelia Troiæ
  Funera te genero dememinisse queat?
Quiq; auro nuper, preciosa & ueste redemit
  Abs te ipso gnati corpus inane sui,
Te generum adsciscat, tibi Regni in parte locato
  Det gnatam, det opes, det tibi sceptra libens?
Aut ferat alma Venus, longo Briseida fletu
  Incusare Deos, teq;, tuamq; fidem.
Vindice quin meritis confossus Apolline telis
  Pende tuæ pœnas improbe nequitiæ.
Sic pereat fidos quicunque relinquit Amores.
  Hoc tamen è numero sospes Ianthis eat.

Ad Franciscum Robertellum Vtinen. Dissidij ab Amica meditatio.

Ergo iterum ad lacrymas & uerba precantia uertar;
  Cui licuit tandem dedoluisse semel?
Meq; iterum patiar duro summittere Amori,
  Qui potui excusso liber abire iugo?

Aut iterum ingenuo indignam depoſcere pacem;
Hoſte Triumphato qui bene uictor eo.
Non faciam, neq; enim tanti ſpes ulla, ut in hamos
Sponte, ſemel fixus guttura, rurſus eam.
Non ego Parua queror, uulgo ut patiuntur amantes
Robertelle, iram hanc ne temere eſſe putes
Si te ſponte mihi de mille Sodalibus unum
Obtulit ingenui pectoris integritas,
Aurea ſimplicitas, & non fucatus Amoris
Candor, & affectu cultus Apollo pari.
Te ſiquidem appello iuſtumq́;; probumq́;; malorum
Hoſtem acrem, atq; bonorũ unicum amicũ habitum.
Magna eſt, quæ in furias agit ægram iniuria mentem
Illaq́; præ faſtu nil toleranda ſuo eſt.
Sæua quidem eſt facies irati ad littora ponti
Sæua exundantis fluminis eluuies.
Sæua ignis; uolitant cum ſumma ad culmina flammæ
Corripiuntq́; trabes, deijciuntq́; domos,
Atq; alia, atq; alia enumeres quæ ſæua uidentur
Vna omnem exſuperat Styx mea ſæuitiam.
Quam nunc extremo irreuocabilis alloquor ore
Vt merita eſt, Locuples tu mihi teſtis eris.
Hanc faciem. hos oculos, hæc uerba ego falſa putarim?
Et Violæ molles aſpera Vepris erunt?
Ficus ita in Salicem, in Taxumq́; ita Lotus abibit?
Tantum odij ex tanto ſurgere amore poteſt.
Tu mea Turtur. Apis mea. tu mea cara Columba.
Styx mea nunc, fucus. Buboq́; triſtis eris.

Gratia summa tibi Venus, & tibi Amor, quod in omni.
Euentu semper nostra probata fides.
Multaq; cum tulerim nulli toleranda, & Amores
Cum facerent aliæ magni habuisse meos.
Atq; Venus melior peteret me, flaua Lycoris.
Et Melite, & læta fronte benigna Hyale
Obstitimus, semperq; animum tibi diximus uni,
Semper Amor nobis unus, & una fides.
Hoc si unquam fuerit ferro candente probandum
Ausim ego id intrepida sustinuisse manu.
Nunc ingrata graui de culpa amiseris illum;
Qualem animum cupias ære parasse graui.
Perfida Ianthi uale, Totiens delusus abire
Te iubeo. Tecum iam nihil esto mihi
Res tibi nunc agito. ipsa tuas, tibi habeto tuas res.
Quando ita diuersa uiuere mente potes.
Iam tueor lucem. ereptum est tibi fallere tandem
Vidimus heu proprio lumine grande nefas.
Qualia dißimulare, nec undis tradere possum,
Quin uiuant duro in marmore, in æsq; diu.
Et rabidis proprios laceremus dentibus ungues,
Vt tanti ante oculos duret imago mali.
Hem, mulier. quid enim maledicto tetrius isto?
Nec de quo sit fas erubuisse magis.
Quam miserum. Anguineum in genus, atq; in sæcla ferarũ
Si noceant, nobis antidotum a Superis
Indultum. Contra pestem, qua tristior ulla
Nusquam est; & mage quam Dipsas, & Aspis atrox.

Nulla tibi dono Diuum Medicina paretur
 Vsq; adeo est homini Fœmina sola malum.
An tanti mihi candor erit, faciesq́; Decora,
 Ne uideam mentis uota nefanda tuæ?
Quorsum ebur, atq; aurum; calathis si fœda superbis
 Inq́; ebore, inq́; auro Vipera clausa latet.
Pende animum. interiora uelim mihi dona placere;
 Si mala mens, ualeant hæc speciosa foris,
Expecta ut ueniam supplex ad limina rursus;
 Atq; iterum posti mollia uerba feram.
Expecta ut rutila pingam tua nomina Milto
 Vtq; tuum in nostro personet ore decus.
Omnia quin perdam laudum monumenta tuarum
 Quas det amaracinum Sus lutulenta tibi?
Ite ite in flammas, quotquot sunt, ite labores;
 Multa uno pereat nox uigilata die.
Hanc mentem o Superi, & iustum spectate dolorem
 Vtile nil merita est illa uidere mei.
Qui uates spernit, uatum experiatur amara
 Vsq; odia, at Siculi quæ bouis instar erunt.
Passer ego ille tuus, tua lux, tua uita, tuum mel
 Noctua sim, nox, & mors, & acerba lues.

Ad Ioannem Cottam Veronensem.
pro Odio, contra Amorem.

Cotta, tuo quod me solaris carmine, amice
 Vt facis, accipimus, consulimusq́; boni.

Nam facis ut tantum poßim peruincere morbum,
Atq; animi pestem, perniciemq́; mei
Quandoquidem ad Citharas, pulchri solatia Phœbi
Me trahis, & Phœbo fidere me usq; mones,
Phœbus enim duros uatum miseratus Amores
Nos fouet & prompta uulnera curat ope.
Sed ne odium, quo me pro tanto constat amore
Donatum, infelix & miserum esse putes,
Crede mihi, dulcis si qua est in amore uoluptas
Ex odio fructus non minor esse potest.
Puriter ut uixit quisquam, benefacta priora
Quanta recordanti gaudia sæpe dabunt,
Suaue quidem est homini meritorum præmia ferre,
Suauius interdum plurima posse queri.
Quam tacitum gaudet; nulli qui debet, & omnes
Vnus munifica promereatur ope.
Omnia ob ingratam dixi, feciq́; benigne,
Magnifice dici, quæ fieri'ue queant;
Illa autem nec me alloquio est dignata, nec unquam
Vel minimum aspexit semper acerba magis,
Esto igitur, nil noster amor tam feruidus egit,
Nunc peragat partis Ira, Odiumq́; suas.
Non quæ mortales bona fingunt sunt bona semper
Decipimurq́; omnes credulitate boni.
Cui non pulchra dies? Cui nox non fœda? labores
Ille tamen, requiem Nox dare tota solet.
Firmo Odio infirmum quisquam præponat amorem;
Iudicium sanæ cui graue mentis erit?

Quæ mala sunt, bona fingit amor; in candida uertit
  Nigra, adeo sensus ingeniumq; premit.
Idem oculis nubem obducit, ne cernere uerum
  Ne ue suis fortes uiribus esse queant
Ast Odium ingenij Vires corroborat omnes,
  Et uegetum sanæ mentis acumen habet.
Diuini ingenium magnum, & sublime Lucretij
  Dicitur in furias isse, coegit amor.
Viribus, & nulli Alcides uirtute secundus
  Ignibus iniectus sponte, coegit amor.
Perdomitis idem monstris post mille labores
  Cœli inter positus numina, causa odium
Quis non Callimachi doctam mirabitur ibin
  Tam bona cur dederit carmina, causa Odium.
Qua rerum Natura uices ratione gubernet,
  Ni iungat bellum pace, & amore Odium?
Quam subito cœlum & terram, & ruere omnia cernas
  Hoc pariter totum si moueatur opus.
Consumptum genus acre hominũ rapido igne Promethei,
  Ni sua Saturnus frigora flasset, erat.
Nosne Chao genitum stulti admiremur amorem,
  Atq; odium sancte Dijq;, Deæq; colant?
Nanq; illi anguipedum, ut fama est, terrore gigantum
  Terga dabant, nec spes ulla salutis erat.
Terrigenæ instabant bello, & sua quisq; parabat
  Captiuo centum brachia ferre Polo.
Ense nihil Mauors contra, non Aegide Pallas
  Stare, nec horrifico Iuppiter igne ualet.

Scilicet auxilio stipulis armatus adesset
Qui miser, & trepidus tunc latitabat Amor;
Inq; sinu Matris canna protectus & ulua
Ad solam Euphratis confugiebat opem.
Quid faceret puer imprudens, indoctus, ineptus,
Nocte quidem, atq; Ouo natus hypenemio.
Ecce Odium præsto est subito auxiliaribus armis,
Pallantesq; Deos contrahit, agmen agit,
Inuaditq; hostes, exultantesq; cateruas
Opprimit, & toto liberat orbe Deos.
Ergo odio, quoniam fuit audendi auctor, honorem
Aeternum unanimes instituere Dei.
Nos autem ignauum tanti faciemus Amorem?
Quid, nisi perpetui causa doloris Amor?
Seu tibi durus eat, seu molliter omnia cedant;
Omnia, quod doleas, quod uerearis habent.
Vt taceam raro esse locum'ue, aditum'ue precanti
Vtq; in captiuos imperiosus eat,
Sanguinem auet suctu, uorat ossa, uritq; medullas.
Atq; adeo pessum remq;, amimumq; trahit.
Deniq; Amor cunctis manifesta insania causis,
Et furor, inuidia, fraude, dolisq; potens.
Salue Odium, ut superis, etiam sanctum mihi Numen.
Laus mea, dulce decus, præsidiumq; meum.
Te ueneror, quoq; asperius me agitabis, amabo
Acrius, & studio feruidiore sequar.
Inclyta difficili uiget in certamine uirtus;
Frigida de de facili gloria Marte tepet.

Illa Triumphali Lauro redimita superbis
Curribus inuehitur par in honore Ioui.
Et uel equis trahitur niueis, uastis'ue Elephantis;
Pinguis & ante aras uictima Taurus obit.
Thuraq; per cœlum ad solium Iouis usq; feruntur;
Ambrosiæq; hilarant Numina cuncta dapes.
Hæc plausu contenta leui pedes intrat in urbem
Et nudum imbellis cingit oliua caput;
Imbellemq; imponit Ouem crepitantibus aris,
Nidor ut ad templi uix laqueata uolet.
Illa per æternos extendit nomina fastos;
Vix unum hæc unlgi commouet ora Diem.
Quam iuuat exhaustos olim meminisse labores;
Nec iucunda, prius non agitata quies.
Ergo alacres duri in certamina Martis eamus.
Oderit illa, Odijs noster alescat honos.

Ad Aegidium Viterbien. Heremitarum Antistitem
De Vero Amore.

QVid sit Amor tandem post longa pericula docti
Nouimus, & uero nomine, quid sit amor.
Dulcis amor, facilis, pulcherrimus, aureus, audens,
Innocuus, prudens & moderatus amor;
Quo duce mortalis succumbit sarcina, & ipsa
Libera mens cæco e carcere ad astra uolat.
Ille amor, Aegidio candens qui fulgurat ore,
Ore pericleo, Nestoreisq; labris.

Nam simul ac proceres Veneti impleuere theatrum,
Composuitq́; alto se Pater in solio,
Tercentum leua, ac dextra, ueneranda Senatus
Ora omnes rerum pectora docta uices,
Perq́; gradus, sellasq́; alias plebs densa resedit;
Plurimaq́; in toto littore turba fuit.
Aurea sexcentis surgunt ubi nixa columnis
Tutoris Marci templa, triplexq́; Forum.
Quam celebresq́; nouiq́; tuo de munere ludi
Perq́; quaterdenos sexq́; fuere dies.
An memorem fusos brumali tempore flores
Paßim & in extremos usq́; pluisse gradus.
An medijs immissa foris mansueta ferarum
Corpora, perq́; manus lapsa redisse domum.
Sed quibus aurea erant per colla monilia, gemmis
Bacchata, Herculea fibula nexa manu.
Mox Pataui, Aethereæ qua se se turris ad auras
Tollebat ludis Meta Pilæmeneis.
Quam circum Antenor fertur, cum solueret olim
Paphlagonum Regi iusta agitasse rotas.
Nunc exercentur simili de more iugales
Rectaq́; Quadrupedum colla, pedesq́; citi.
Stant animosi alacres iuuenes in uerbera proni
Tensaq́;, dum sonitum det tuba, lora tenent.
Hos tu autem interea suggestu affatus ab alto,
Dum labra melle fluunt, fulgura ab ore micant,
Per caueam, & totum dum facta silentia Circum,
Instruis, & dictis feruida corda regis.

Ite boni, leuas Iuuenes compescite habenas;
Mansuetum quotiens improbus urget equum,
Iauitumq; rapit secum, & spumantia mandit
Frena, pede auellens anteriore solum.
Lora trahens ualidis uexa hic puer ora Lupatis;
Impuro & rubeat lingua cruore procax.
Donec humi Sonipes temeraria crura proteruus
Imprimat, & tellus clunibus icta sonet;
Mox facili des lora manu, pariterq́; feratur
Obsequio parens Manus uterq; tuo
Hæc simul ore tonas, simul omnes concitat ardor,
Acri animoq; suos quisq; flagellat equos.
Qua uehitur Princeps curru sublimis aheno
Per cœlum oßifragis ductus ab Alitibus
Concertantq́; sui Pilento instare Tyranni;
Felix qui propius lora beata tenet.
Ille præit, nectarq́; bonum, ambrosiamq́; propinnat;
Cœlestesq́; cauo spargit ab ære dapes.
Quas ubi iam domiti semel excerpsere iugales,
Concordi & tulerunt essedа iuncta iugo.
Præpetibus uolitant pennis, perq́; aera summum,
Perq; Polos tendunt limina ad usq; Deum.
Ergo per æthereos paßim expatiata recessus
Læta Cohors Domino fert pia dona suo.
Itur in amplexus, & in oscula dulcia; demum
Is, qui plurimum amat, præmia plura refert.
Magne Pater Sophiæ, puri monstrator amoris,
Qui secreta Deum fata, uicesq́; doces,

Esse quidem in sacris Diuinum nomen amoris;
Quod, nisi sacrata dicere uoce, nefas.
Hunc autem, Aethereas, dulcem dum peruolat arces
Ad nos delapsum uerti in amariciem;
Dulcia uti, ripas lambunt quæ flumina amœnas,
Littoreo fiunt tristia mista salo.
Verum ubi concussis iterum sustollitur alis;
Mella iterum tota de cute defluere,
Nempe doces ne molle iecur grauis ulceret ardor;
Quæ iuuet, & quæ nam flamma nocere queat.
Tum cupida motus mente exturbare procaces;
Ne trahat in præceps leua cupido animum.
Ac demum solium quæ semita ducat ad altum;
Vnde humus, unde omnes dispiciantur aquæ.
Ergo tibi æternos merito statuemus honores
Dum stabunt celsis Iulia saxa iugis.
Noricaq; aerias, superabunt culmina sedes,
Totq; dabunt fontes prodiga, totq; lacus.
Hisq; effusa suum de faucibus in mare pergent.
Ire per ora nouem flumina magna nouem.
Semper eris nobis Diuum instar, semper amandus.
Viue Pudicitiæ gloria, uiue Pater.

Iano Vitali accusatur Amor. subiuncta
Palinodia.

Illæ ubi Magnificæ uoces? ubi Iane superbus
Ille animus, nuper quo uiolentus eras?

Scilicet indomito ſpernebas pectore amorum
Quidquid erat, fatuas addiderasq; minas.
Quid mihi cum puero Veneris, ſi caſtra ſequenti
Gratia ſeruitio nulla parata meo eſt?
Nam puer eſt, puero ſe ſe qui credit, ineptit;
Semper habet temere cerea corda puer.
Non hic conſilio, non rebus idoneus; eſſe
Rex igitur reliquis qua ratione poteſt?
Vulgo oculis captus, fertur; ueſtigia cæci
Falſa ſequi eſt animi deſipientis opus;
Quandoquidem cæcis oculati ante ire ſolemus,
Inualidis ualidi ſubdere rebus opem.
Quodq; facem manibus geſtat, ſeruire notatur;
Non bene Rex, alijs qui famulatur, erit.
Hunc famulum agnoſcit Vatum doctiſsima Sappho
Fabellas doctum texere uaniloquas.
Quid mihi Achemeniis quod ſtipet tela pharetris;
Si non ſunt culices uix ſatis apta ſequi?
Vſq; adeo tenuis ſtipulis appenditur hamus;
Hamus acu leuior, mollior hamus aqua.
Lubricus, & uelox uentoſas explicat alas;
Quæ faciem picti Papilonis habent.
Hoc uariam, uacuum quæ fertur in aera, mentem,
Inq; Deo firmum commonet eſſe nihil.
Pauper eget tenui, quo uelet corpus, amictu;
Quas igitur ſeruis polliceatur opes?
Forſitan Attalicas, rariſsima munera, ueſtes;
Argentum, Aurum, Indi diuitias pelagi?

Quin medicus eat, matrem comitetur egenus.
Repat humi, faciem squallidus, ossa macer.
Pro foribus iaceat Veneris Natalibus; unde
Exiguum impranso flagitet ore cibum.
Qui si nos ullo uiolauerit improbus ausu,
Deplumis telis uapulet usq; suis.
Hæc ego te memini liberrime Iane locutum
Sæpius, & magni temnere castra Dei.
Nempe Dei qui cuncta domat, pariterq; uolentes
Inuitosq; trahit sub iuga ahena ferox.
Vsq; adeo nobis de nostra cernere mente
Non licet, aut tutas præsidio esse fores.
Quid mihi, quid moles Hadriani profuit, altis
Turribus, euripo mœnia cincta nouo.
Huc quoq; uenit Amor Phœboq;, & Pallade fretum
Ex adyto Musarum interiore rapit,
In mediumq; trahit Campum post terga reuinctum
Brachia, & in ludos omnibus exposuit.
Sed tibi qui ludus fueram (hoc rota uersa coegit)
Tu mihi non ludus, sed miserandus ades.
Nam tu etiam nullo suffultus stramine posthac
Sub Dio, ante fores fusus, egenus eris.
Et iam obfirmabis Taurinos toruus ocellos;
Et tua turbato uerba tenore cadent.
Iam Facies crudo offundi pallore notatur;
Iraq; te tacitum macerat, unde furis.
Vnde illa assiduis suspiria iuncta querelis,
Debilitasq; animi, sollicitusq; pauor.

Aſpice quam lato tua pectora ſcindat hiatu
Hamus acu leuior, mollior hamus aqua.
Nempe hœc tela queunt ſpiculis appenſa minutis
Aegida ſupremi perpenetrare Iouis;
Et penetrare queunt adamantina pectora Ditis;
Sic domitant terras, ſic domuere Polos.
An puerum perges poſthac inceſſere falſo
Nomine, cuius agunt fortia facta Virum.
Dic age, num Phœbo quiſquam ſapientior? ecquis
Imperioſa magis quam Iouis ulla manus?
An Caducifero quiſquam uerſutior? an ſit
Qui Gradiuum animo uincat ad arma ferum?
Huic Iouis Imperium, & Phœbi ſapientia cedit,
Martia uis animi, Mercurijq́; dolus.
Hic tibi ſit cæcus, media qui nocte tuetur,
Quæ medio Lynceus non uidet ipſe die?
Seruitium inſimulas Tedæ, quaſi turpe, decorum
Quod ſummo radians æthere Phœbus habet.
Quid pictas rides alas, Cyllenius alas,
Fortuna omnipotens, claraq́; fama gerunt.
Quin niſi ſublimes moueat Victoria pennas
Paßim hominum inſignis commoriatur honos
Inſtabilem carpis, Cœlum, Mare, Sidera, & amnes
Inſtabiles laudem promeruere ſuam.
At, quia Nudus, inops nimium tibi forte uidetur;
Delicijs qui tot luxuriare poteſt.
Ille etiam Patre eſt opulento natus, opimas
Ille epulas, Siculos inſtruit ille toros.

Aurea non illi desunt laquearia, & ædes
Magnificæ, & latis Atria porticibus.
Non uestes auro illusæ, & Melibæa supellex
Defuit, & gemma diues & arte Scyphus.
Omnia munificus, sed tradit amantibus, una
Dummodo poßideat cornua, tela, faces.
Ecquis amans aliquo donandus munere amoris
Non Arabum, & Serum munera despiciat?
Pone ostrum, gemmas, aurum, Sceptrumq; superbu
Pone & Amatoris gaudia sola paris.
Omnia sordescent ut sis in amore beatus,
Est igitur felix, estq; opulentus Amor.
Ergo age summite auriculas stimulumq; secutus
Spemq; metumq; inter sub iuga panda ueni.
Ingenuo fateor durum est seruire. Quod angit
Vertier ante oculos, & premere aßidue.
Quod iuuat, & procul esse, & raro cernier; una
Spes tamen esse malum pernegat omne malum.

Ad Ioannem Persicinum Aloisii Doct. F. Somnium de re sua, & patriæ celebritate.

QVaLiter Idalij nemora inter frondea saltus
Saucius hamata Cuspide Ceruus habet;
Scilicet ut tergo ferrum letale tenaci
Excidat, e certo gramine quærit opem.
Talis ego in somnis Temerßia templa petebam,
Templa animo semper suspicienda meo.

Admiranda libens uisa hic Bone Persice pandam;
Sed tibi, digna tuis auribus ista reor.
Ingenium cuius uulgi aspernatur amores;
Quod rarum, atq; decens, quodq; meretur amans.
Hic mihi Thespiadum affulxit stipata choreis
Daphnia, Virginei Daphnia fama Chori.
Nempe oculos uidi rutilo fulgore micantes,
Tranquillo ut fulgent sidera clara Polo.
O quales spirant nobis hæc lumina amores;
De Veneris credas lumina prompta genis.
Illa his, quos libeat, poterit demittere leto;
Demißis leto subdere rursus opem.
Qualis Amasæa sanctus Basiliscus in æde;
Qui caput Accipitris, cætera habet colubri.
Lætitiam, & lucem patulis dispergit ocellis,
Mœstitiam; & tenebras, hos si aperire neget.
Hic dum animo uirtus, dum uox, dum forma recursat
Spectoq; inexpletis singula luminibus;
Visa, auida illa meos solandi sponte labores,
Dulcia flexanimi uerbula habere sono,
Verbula, cœlestes superi quæ nempe loquantur;
Verbula, mortali qualia scire nefas.
Quæ mihi de casto merces numeretur amore
Vidi, & quas speret mox colere ipsa Deas
Quod nunquam insano mentem labefecerit æstu;
Quod pietas animo par in utroq; uiget.
Visa hinc ambrosio totum me spargere odore;
Visa cor Aonia nostrum agitare face.

Tunc ego compulsus stimulis, tunc excitus œstro.
  Pierio, tunc spes addita summa Lyræ,
Concepi æternum uicturæ laudis amorem;
  Diuinans uitæ sæcula longa meæ.
Visus eram faciles humeris appendere pennas,
  Sideraq; assultu tangere summa leui.
Visus eram terras hinc despectare iacentis,
  Et Mare flexiuago cingere cuncta sinu.
Vtq; suo Vati Virunum serta pararet,
  Nostra Vrbs, Bellunum nomine dicta nouo.
Rhæthica qua ponunt, qua sumunt Norica fines
  Culmina, sed Veneti Mœnia, agerq; soli.
Mœnia curuatis quæ flexibus ambit Anaxus,
  Nomen ob Euganea nobilitate datum.
Quod sit in aduersum uanus conatus in illo,
  Nunc Plebea est; olim Flauius amnis erat.
Cardibali illa scelus Satyri ut præuerteret, ultro
  In patrias se se præcipitem egit aquas.
Iuppiter at Mæstum consolaturus Anaxum
  Nomen id in Plabeæ nomen abire dedit.
Ante autem Hostilij factum memorabile Flauij
  Fluminis æternum iusserat esse decus
Quem bello insignem titulis Sertorius amplis
  Ornauit, nomen Flauius unde foret.
Vrbs Cliuo fundata alto; plano ipsa locata;
  Plurima qua erumpit dulcibus unda tubis
His ego me facile cohibebo finibus; Vrbes
  Ingentes magnis Vatibus este locus.

Hic bona simplicitas, hic mentis candor Amicæ;
Hic pietas, & amor mutuus usq; uigent.
Inter se reliquæ certent liuoribus urbes;
Non mea, non tali Patria tincta lue.
Gratia Marce tibi, cuius sub numine pacem
Tranquillam, & totis otia habemus agris.
Annus enim uerso iam iam centesimus æuo;
Ex quo nemo hostem nouit ab ore trucem
In segetem, inq; feras ferri cognoscitur usus;
Nulla hic humano sanguine tela madent.
Nempe aurum, atq; pudor longe preciosior auro
Omnia tuta foris, omnia tuta domi.
Dij patrij, sint bella procul, Seruabitis urbem
Aeternum his sanctis moribus incolumem.
Hic numerosa cohors Vatum, Pagana propago
Nomen habet, Musis tota operata pijs.
Quamq; sibi Silts transcribere certat Amœnus
Castalia haud ficto nomine dicta domus.
Persica, Grynæa, & Miliaria dedita Phœbo.
Hic Aldioniæ plectra canora Lyræ.
Hic Soboles Bulsana, & amica choraulia Musis
Et spectata suis laudibus Egregia.
Carpedon fuit ante senex, uelut Ennius alter
Et uariæ scriptor Ponticus Historiæ.
Per quem autem amissum reparas Auicenna nitorem,
Andreas nostra lumen ab urbe micat.
Atq; alij, non longa dies quos proferet omnes
Conspicuos fidibus, Pieriaq; Lyra.

Hic nos Faustini auspicijs per amœna Sororum
    Culmina Castalij suximus amnis aquas.
Mox triplici docuit causas orare Theatro
    Prunulus Hadriacæ gloria, & honos Cathedræ.
Huberiore deinc me fonte Sabellicus ingens
    Alluit, hinc fandi copia parta mihi est.
Protinus accessit Patrui pia cura, laborq;
    Qui docuit graio uerba canenda sono
Vrbanus. Quo nos tantum lætamur alumno;
    Quantum quæq; suis urbs alia ingenijs.
Magnum etenim Vrbanus patriæ decus attulit urbi,
    O utinam accedam fama secunda Nepos.
Ille tamen studijs semper grauioribus usus,
    At mihi de lepidis fama petita iocis.
Dum mollis feruet iuuenali in pectore sanguis,
    Dum placidis ætas, lusibus apta mea est.
Fas mihi Acidaliæ Veneris cecinisse lepores;
    Ne petat hos ætas mox aliena modos,
Induet in florem cum se Nux plurima; rapti
    Tabuerit cum iam Capparis illecebra,
Tempus erit forsan, cum me lusisse pudebit;
    Nunc iuuat, hos lusus dum iuuat ergo sequar.
Seu bene, seu male quid facias, æqualiter audis,
    Illud idem esse bonum dicet is, ille malum.
Nec fecisse satis pote Iuppiter omnibus ipse,
    Vt pluat, ut pluuiis abstinuisse uelit.
Vndiq; sic satagentum hominum te cura fatigat
    Ponam igitur lucro, quod lubet, id facere.

Hanc ego iam moui palmam; Superare minores
Concertent, genti cedere dulce suæ.
Opto ego succrescat nostra mox urbe iuuentus,
Vt uidear Patriæ nil tribuisse meæ.
Interea, dum Daphnia amat me dulcis amantem,
Forte aliquo merear nomen habere loco.

De Scriptis suis, Quæ omnia Hippolyto
Mediceo debeantur.

TV ne meos inter patiare indictus amores
Hippolyte hoc casto carmine abesse procul?
O Iuuenum decus eximium, Virtutis ocelle;
Qualem nulla habuit, nulla habitura dies.
Cui nihil absurdum cordi, nil molle resedit,
Qualem animum ante annos cura Senilis habet.
Nam, quo tempore erat de te satis, & super in spem
Tollere nos, iam iam facta probanda geris.
Cosmiadasq́; atauos, & auos, & Stemmata Regum,
Pontificumq́; animi nobilitate refers.
Sed nihil esse putas præclaræ gentis honores,
Et decora in laudes adnumerare tuas.
Non faciem Imperio dignam, non robur, & artus
Præualidos, & quæ tempore abire queunt.
Non quæ aut fortunæ, aut alieno iure reguntur.
Nec, nisi quod proprium, ducis id esse tuum.
Ipse tuis animis, præstantiq; indole fretus
Ad ueteres Lauros tendis habere nouas.

Vt puer, atq; annis uix dum terquinq; peractis,
Cepisti patriæ pondera ferre tuæ.
Hinc tibi honoratos titulos Florentia cernit;
Resq; omnis curæ Publica iuncta tuæ.
Iura, magistratusq; legis, componi; & urbem,
Exemploq; doces quemlibet esse probum.
Nec tamen has inter curas, uariosq; labores
Immemor es Phœbi, Pieridumq; chori.
Non fandi studium, non Regum facta potentum,
Non artis doctas posthabuisse potes.
At rerum exploras causasq;, uicesq; remotas.
Luna suo niteat lumine, siue notho.
Sidera sponte sua, an uinclo rectoris agantur.
Quot numero immensum sint per inane Globi.
Quæ ratio, aut quæ uis radiantia lumina Solis;
Atq; hunc atq; illum cogat adire Polum.
Vnde anni species uariæ, rerum unde nouatus
Aera, aquas, terras fertilitate beent.
Iamq; hæc, iamq; alia ingenio superante reuoluens
Quæ quæ scire homini fas, tibi nota cupis.
Adde quod in cunctos iuuenalia membra labores
Exerces otij, desidiæq; fugax.
Non iaculo, non ense piger, non glande, nec hasta.
Siue pede hostis erit, siue petendus equo.
Deniq; cum centum puer artibus omnia tentes;
Haud temere, haud frustra, & cuncta decenter Agas,
Sisq; meorum unus fautor stimulusq; laborum;
A quo uno rebus nomen, honosq; meis

Non ſine te mihi creſcere opus fas protinus ullum?
 Quo me cumq; uagum Caſtalis aura uocet.
Vt tua, ſiqua mihi fandi uis, cognita uirtus;
 Vt meus in te olim ſit manifeſtus Amor.
Siue ego conſcriptis Elegorum quinq; libellis,
 Ingenui oſtendam quod ſit Amoris opus.
Seu mihi Leucippus, ſeu deplorandus Adonis;
 Seu mihi purpureus Carpio, carmen erit
Siue autem Oebalij dulciſsima uerba mariti
 Aulidos a portu Laodamia legat.
Vel miſeram Eurydicen Thrax amiſiſſe queratu
 Seu mihi Romana eſt carmen amicitia.
Siue hominum curas, ſtudiumq́; notemus inane.
 Auſi etiam ſenos continuare pedes.
Mox forti inſignem uirtute Heroa canamus;
 Et uideant laudes Numina multa ſuas.
Siue Leo implorat lacrymis, & uoce Penates,
 Aut Aquilæ Albertus fera pia uota pius.
Siue tuis Petrus meritis ualet Anna Melinus,
 Siue gemam Celſi funera iniqua boni.
Iam factum Hoſtilij celebrem memorabile Flauij
 Iam doleat caſus Simiaq; bella ſuos.
Siue magis placeant Epigrammata, ſiue ſequamu
 Flace tuos numeros, ſiue Catulle tuos.
Plurima ſeu numeris edam arcta ab lege ſolutis,
 In Latium uertens uerba Pelaga ſonum.
Atq; ſacri quæ uis ignis, quid fulmina ſignent
 Miſſa alia, atq; alia de regione canam,

Et quibus Auspicijs Bellunum condita, cæcis
Historiam è tenebris in loca aperta uocem.
nde Sacerdotes Phœbi, castosq; Poetas
Indigna nasci sorte, & obire querar.
Deniq; de arcanis tam multa uolumina rebus
Absoluam, in sacris Mystica sensa notis.
Quæq; gerant celsi ueterum monumenta Obelisci:
Quid delubra Deum sculpta, quid æra uelint;
Qualibus Aegyptus quondam est operata figuris;
Queis procul indoctum uulgus abesse iubet.
Inuide quid tetro nostros liuore labores
Inficis? & tantum dente lacessis opus?
Vinceris, & nunquam potuisti nostra morari
Vela, tenent portus, excruciare licet.
Te uiuam inuito, & quamuis sæpe improbe nostræ
Fortunæ obstiteris, subdiderisq; pedem,
Meta tamen, nunquam mihi desperata, Coronam
Attulit, & sacra tempora fronde ligat.
Atq; ita Fortunæ totiens a fonte repulsus
Accedo ad laudis munera floridior
Dum tibi rare puer nostros placuisse labores
Aspiciam, pergam laudis amore tuæ.
Atq; alia, ut uiuas, ut sis quem poscimus, addam
Nec mea uicta ullo Musa lobore cadet.
Deniq; in his me siqua manet post gloria mortem
Non eris in libris ultima
fama meis.



EIVSDEM PIERII VALERIANI AMICITIA ROMANA



Roma olim factis immanibus effera, nomen.
Horrendæ, ut fama est, asperitatis erat.
Siue auidus regni fundator Romulus Vrbis
Fraterno incestam sanguine tinguat humum.
Siue suas alij populo spectante sorores
Interimant, gnatam seu pater ipse suam;
Cernere seu Genitor tetrica percussa securi
Gnatorum immoto lumine colla ferat.
Siue Socer toto Genero interdixerit orbe,
Siue alij ostentent facta nefanda magis.
At modo Amicitia, & pietas incognita priscis
Temporibus poterit tantum abolere nefas,
Vt consanguinei & fraterni exempla rigoris
Demum uno penset Roma sodalitio.
Magnanimi en pueri Theobaldus, & Eutychus, ambo
Virtute, ambo animis, ambo in amore pares.
Talia Amicitiæ, & pietatis signa dederunt;
Ne gestum inuenias laude quid ante pari.
Graia ut Pirithoos tellus, & Dardana Nisos
Atq; suum taceat Sicelis ora decus.

Tanta adeo unanimes adiere pericula, uterq;
Intrepide alterius fata subire uolens.
Verum o quis Pueri meritis uos laudibus æquet;
Hisq; ausis gratus præmia digna ferat.
Siue animi ingentes, ualidæ seu facta Iuuentæ,
Siue Amor, & pietas mutua, serta petant.
Cernit enim immissas in se bonus Eutychus ire
Percussorum acies, funera aperta uidet.
Agnoscitq; animos, & tela inimica ruentum;
Nec sibi, sed Socio tristia cuncta timet.
Sit procul ergo orat, totaq; absistat harena.
Causa mea est inquit, solus in arma petor.
Ille autem; usque adeo ne fidem periisse putasti,
Te sine ut a duris rebus abesse feram?
Non ita me genus egregium, Romana propago,
Præstantesq; animis erudiere Patres.
Qui te cunq; igitur casus manet, ille manebit
Me quoq;, tecum obeam, si moriare, libens.
Quin agendum Theobalde fuge, o, repetebat Amicus
Si moriar saltem te superesse uelim;
Lumina qui condas, qui consolere Parentes;
Quod non indecori morte peremptus ero.
Hoc ardet magis auferri Theobaldus in arma
Cum Socio certus, pro Socioq; mori.
Ille autem incassum rogat omnia; dumq; ita certant,
Impius infestis ensibus hostis adest,
At contra ingenti gladium feruore coruscum
Eutychus intrepidus stringit, & agmen adit.

Consequitur Theobaldus, & ambo prælia miscent;
  Cernere erat quo sit sanguine uterq; satus.
Dum dextrum hic turbat Cornu, premit ille sinistrum;
  Pugnaq; dum feriunt, dum feriuntur atrox.
Nempe diu Hispanas turmas, densosq; maniplos
  Tota acies pueri sustinuere duo.
Sublimes in equis, solis, nam cætera inermes,
  Ensibus accincti, Fors ita iniqua tulit.
Iamq; uiam gladio Theobaldus fecerat ardens
  Tela per, & rapido liber abibat equo.
Hac iter Eutyche, ait, licet hac euadere, mecum
  Proripe te, solo hoc tramite tutus eris.
Ille nihil, neq; enim uocem crepitantibus armis
  Audit, & abstulerat pulueris unda diem.
Nec si etiam audierit, uellet discedere pugna;
  Tutus ut auersis hostibus ille foret.
Sic Theobaldus abit pugna, seq; eripit armis;
  Ereptum & Socium credit abire simul.
Verum ubi carpere iter secum non respicit illum;
  Seq; animi cernit parte carere sui.
Vertitur, atq; ubi te clamabat Amice reliqui?
  An potui rapta te sine abire fuga?
Si perijsti etenim me tecum occumbere certum est;
  Aut eadem uiuus contumulabor humo.
Ecce autem in medijs septum illum conspicit armis
  Edere Romuleæ splendida facta manus,
Nunc audendum animis inquit, nunc uiribus uti
  Præstiterit, nostrum ne quis inultus eat.

Sic fatus alte sublatum insurgit in ensem;
Mox acrem in densum uulgus adegit equum.
Non ignarus enim dura esse pericula, at ingens
Ille animus quid non ausit, amorq; pius?
Iam cuneos, iam densa uirum penetrauerat arma
Et passim hostili sanguine tinctus erat.
Eutychus interea cornu cedente, per altam
Stragem hominum ipse sibi fecerat ense uiam.
Et socium, fuso qui primum euaserat hoste,
In tutum arrepto sperat abisse iugo.
Hic autem durum in certamen sponte reuersus
Sæuit, & in medios fulminat ense globos.
Qualis Aper quem magna canum uis undiq; sæpsit
Fulmineo ore fremens obuia quæq; ruit.
Eutyche, clamat ubi es, fide Eutyche, tutus at ille
It procul; in tanto hic turbine solus erat.
Quem iam omnes unum densa cinxere Corona
Telorum, inq; unum tota caterua coit.
Ingeminantq; ictus, nec sufficit unus in omnes;
Pro quo omnes, pietas siqua, perire petant.
Quæ rabies, quæ tanta feros truculentia uexat;
Vnius ut pueri cede madere uelint.
Ille autem quam fronte minax, quàm sæuus in armis
Qui furit, & gladium uibrat utraq; manu.
Atq; adeo leuam, Iuuenis qua frena regebat,
Abscindit ferro, collaq; tangit equi.
Sæuit equus, titubat sessor, dum quærit habenas;
Quas neq; habet, neq; si tangat, haberę potest.

At puer excutitur miserandus, & obruitur ui
Magna hominum, & turbam sustinet usq; Pedes.
Euthychus aspexit, socium dum quærit harena
Vno omnes raptim se glomerare loco.
Horruit, & magno perculsus corda dolore,
Heu Perij, inquit, eo es si Theobalde globo.
Nulla mora in media uidet hunc peditem ire caterua;
Quem circum armorum plurimus horror erat.
Plurima tum sese incusat, sese increpat ultro.
Hei mihi ait, tanta cede peremptus eas.
Siccine amice cadas, & sim tibi funeris auctor.
Tu moriare, & ero te sine uiuus ego?
Non ita, uerum eadem quæ nos florere uidebat
Hora duos, eadem finiat hora duos.
His animis, primæq; uigens ardore iuuentæ
Cinxit se medijs hostibus ense ferox.
Vt Leo, quem circum uenabula densa coruscant
Venantum, impauidus per media arma ruit,
Et quos stare uidet contra, & distringere ferrum
Hos petit, & cauda percutit usq; latus
Terribilis dente, atq; oculis, atq; unguibus uncis
Sæuit, & effuso sanguine terra rubet.
Eutychus haud aliter ferrum uibrabat in hostes;
Non pauor hunc, non mors, non tot acerba mouent
Prætentantq; animum solitæ Virtutis honores;
Et facinus media nuper in Vrbe nouum.
Cum se Hispana domus puerum effudisset in unum;
Quam subito est eadem tota repulsa domus.

Vnum itaq; in medio transfigit pectore, & unum
  Ceruice, icto unum uertice ſternit humi.
Indignati alij, pueros tam fortiter ambo
  Pugnantes tot iam dedecus eſſe uiris
Adglomerant ſe ſe, & conferti tum ſimul omnes
  Impetum agunt, quæ non Eutyche fata ſubis?
Quis te in tam multos unum rapuit calor hoſtes,
  Quis te o ſanguineo uulnerat enſe ferus?
Quis tibi crudelis tenerum hinc latus haurit, & inde
  Quis nam oculos, quis nam lactea colla ferit?
Ah miſerande puer, qua te nunc arte tot armis
  Eripias, telis ſaucius innumeris?
Iam ſuccumbit equus mutilus pede cernuus uno;
  Nullaq; iam pugnæ ſit uia, nulla fugæ.
Iam pedes it, animisq; ardet. dumq; impiger hoſtem
  Vulnerat, & nulla iam ſibi parte cauet,
Tergo inſtant alij, mox ceditur undiq;, demum
  Succiſo ſubitum poplite uulnus habet.
Infelix puer ah nimium confiſe Iuuentæ.
  Ah nimium hac pugna uiribus uſe tuis.
Quid iuuat inuictum iactare in uulnera ferrum,
  Fundere flammam oculis, uerba, minasq; loqui.'
Si feruentem animum pars uulnere clauda retardat;
  Frigidaq; effuſo ſanguine dextra riget.
Ecce iaces, eadem iacet & Theobaldus harena;
  Cui nullum in toto corpore robur adeſt.
Sic poſiti, heu pietas laceri crudeliter ambo
  Ora, manus, frontes, pectora, crura, pedes,

Hic formosum uti lilium, & ille uti flos hyacinthus;
Turbida quos sæua grandine tundat hyems.
Tanti fama mali totam diffusa per urbem
Perculit horrificis pectora cuncta sonis.
Excita Roma, ruit populus, qua fusa iacebant
Corpora, multus Amor, multus ubiq; dolor.
Atq; adeo impletur Cœlum omne ululatibus altis;
Lamentisq; sonant omnia fœmineis.
Heu quanti stetit esse pios, timuisse pudorem;
Qui poterant totiens liberi abire fuga.
Quo subito decor ille abijt? quo feruida Virtus?
Quo similes Diuum frontibus effigies?
Barbarico tantum in media licet urbe furori
Inq; oculis hominum, & Principis ante fores
Quo nil fœdum æque, & nihil unquam immanius ausum
Nec grauius quidquam Martia Roma tulit.
Gaudeat ut Numerosa duos, Armataq; inermes
Turba. Viri pueros, more petisse canum.
Heu quales pereunt Iuuenes, quæ lumina fœda
Sanguine, quæ tanto uulnere rapta manus?
Sic mœstæ ad superos uoces tota urbe feruntur;
Suntq; duo mœror publicus, atq; dolor.
Audijt omnipotens pater hæc dum tota Deorum
Turba fremit, nostri queis data cura soli.
Vsq; adeo illius mentem mortalia tangunt;
Quiq; omnes ad se contrahit almus Amor.
Sponte infelicem sortem miseratus amantum
Romuleis fixit lumina firma iugis.

Et ſecum. Impuris etiam miſereſcere noſtrum eſt;
Et bene pro meritis non noueamur? ait.
Nunquid in inuidiam me-m, & cœlum omne daturus
Icta hominum tanto corda dolore premam?
Quin potius rebus certum eſt ſuccurrere mœſtis;
Quodq; amor, & pietas tanta merentur agam.
Nam quia Iura inmota manent Adamantina Cœli
Vincere quæ gnati non potuere Deum.
Sarpedon perit, & caſtor cum fratre, nec unquam
Alcidem Virtus liberat ulla meum.
Sed piu eſt curæ Superis Amor: ut cadere ambo.
Fata uelint, fatis derogat unus Amor.
Viuere amor utrunq; cupit, ſeruemus utrunq;
Stamina utrunq; trahunt, cedat uterq; colo.
Dimidiumq; utriusq; cadat, pars altera uiuat
Atq; unum e gemino corpore corpus eat.
Hic liceat nobis fatorum abrumpere leges;
Pro meritis ſiquidem demeruiſſe meum eſt.
Quod memini hos uotis optaſſe ut Lemnius unam
Eorum animam in ſolo corpore colligeret.
Viuat uterq;, & uterq; etiam moriatur in uno
Atq; habeant, tanta quod prece uterq; petit.
Vna erit effigies terris, Cœlo altera, & unum hoc
Romani exemplum ſemper
Amoris erit.



GABRIEL IVLITVS BENIGNIS LECTORIBVS.

QVia superuacuum esse noram in studijs laborem, nisi liceret meliora inuenire præteritis, Viderem'q; Poemata quædam Carpionem quippe, Protesilai Epistolam, Leucippi fabulam, & quædam alia. XL. Iam ab hinc anno ab adolescente adhuc Pierio nostro edita, plerisq; mox locis recognita, quæ tamen sub priori illa quali cunque editione & legerentur & etiam imprimerentur, Visum est ea quæ iam castigatiora et eodem argumento numeroq; conscripta essent, alijs Elegijs subiungere, Benigne lector hæc quoque, licet ipsam oleant adolescentiam, boni consule.

PIERIVS VALERIANVS BOLZANIVS BELLVN.

AD .I. LASCARIN. V. CLARISS.



Egia Lascareæ sobolis stirps Iane, tuorum.
Qui decus ingenij Viribus æquiperas.
Si tibi dona parem Veronæ cultor amœnæ;
Quæ tanto inueniam munera digna Viro?
Dem'ne Crocum, an Citrios, an Rhœtica Vina? an Oliuum?
Immo age, selectus Carpio Munus eat.
Rarus hic in stagnis, proprioq; in gurgite rarus,
Et meus, ut faueas, Carpio rarus erit.
Ipse ego quem cepi, atq; alui Quadranthide Lympha;
Iugera quæ Aureoli montis amœna rigat.

Qui, seu legitimo, uetito seu semine Cretus,
Vindicta optarim liberum abire tua;
Qui rerum exploras causas uicesq; remotas;
Qui pacem, atq; eodem pectore bella cies;
Consilio cuius prudenti Gallia plaudit,
Orantiq; potens Regia quæq; fauet;
Cui de Cecropijs, Latijsq; in pectora cellis
Instillat superos pulcher Apollo fauos.
Dulcius ut nemo quisquam hac ætate loquatur,
Dum latij exundant, Cecropijq; sales.
Quid loquar, ut propior pompam sis ipse secutus;
Quam pennata Iouis Rheda tonantis agit.
Admissusq; sacris; quæ raros noscere cautum est,
Pastus es ambrosiam, nectareamq; dapem.
Qua licet hinc homini sapiens effectus, & ægro
Mortali præstans, ut Deus ipse tibi.
Cumq; ita præcellas humiles Vir Magne Poetas
Amplexaris. amas, officijsq; iuuas.
Omnibus expositus, ueluti Sol omnibus idem;
Diuinæ unde licet noscere mentis opus.
Ergo age, quicquid erit, Munus leue summe benignus;
Auspicijs uiuat Carpio ut iste tuis.

FABVLAE TOTIVS ARGVMENTVM.

LAtiæ Catullus elegantiæ parens.
Profectus è Bithynia, peninsulam

It Sirmionem inuisere actutum suam.
Ad hunc Amici commeant complusculi,
Lacum Fasello limpidum sulcant leui,
Et se uicissim suauibus mulcent modis.
Canit Catullus impotentem perditi
Benaci Amorem, quo pudicam deperit.
Garden, nec ulli obnoxiam libidini;
Ripas Napeæ quæ uirentis adcolunt
Illum sequuntur, atq; Benacus Pater,
Bibula haurientes aure carmen optumum.
Eo absoluto, Naides plausu dato,
Exosculari dum Carinam cursitant,
Imis refusa stagna miscentur uadis;
Et uorticosis fluctibus Cœlum petunt;
Quibus Poeta territus, proram manu
Vtraq; prehendit, iumemor Poematum;
Quæ lapsa fluctus in rapaces decidunt,
Abit Catullus; atq; confectus graui
Mœrore, paucis post diebus occidit.
In Carpiones inde mutantur libri,
Membrana nanq;, piscium id genus parit,
Ramenta in auri transferuntur Litteræ
Cognata quæ esse conscij Pisces sibi
Sola illa deinceps destinarunt carpere,
Vnde hæc secuta Carpionum nomina,



EIVSDEM PIERII CARPIO.

IBAT ab hospitio Memmi, Thynnisq; Catullus;
  Eq; amplis lætæ finibus Ioniæ;
Spectaret fumum a patrijs ut collibus, utq;
  Natali inferret basia cara solo.
Sirmia defessum porrecto in littore Vatem
  Suscipit, & placido mulcet amœna sinu.
Venisse incolumem Veteres gratantur amici;
  Inuisuntq; Lares docte Poeta tuos.
Ipse peregrinos longo sermone labores,
  Aegæiq; refers multa pericla salis.
Quæ tuleras terris incommoda dura Bithynnis,
  Quam fuerit patrij terra adamata laris.
Soluere idm tempus curas, ægrumq; grauatæ,
  Adibus in notis ponere mentis onus.
Non alias æque facilis suscepit Alumnum
  Benacus reducem, Veliuolusq; lacus.
nc Ver, hinc placidi genitabilis aura Fauonij
  Aequore suadebant limpidiore frui.
Ergo parant tenues per stagna liquentia tonsas
  Lentare, & socias addere sorte manus.
Ipsi aderant pleriq; notæ melioris amici;
  Quos ipse a teneris legerat unguiculis.
Conditor exhausti nitidus Cornelius æui.
  Varrus amore potens, Caluus amore miser.
Tu qui delicias elegis das Calue fluentes;
  Tu quem plus oculis Calue Catullus amat.

Nec Verranius hinc aberat iucundus; Ibero
Qui patriam nuper uenerat Oceano.
Lætus & ante Alios risu, salibusq́; Fabullus
Diues, & exprompto uiuidus ingenio.
Liquerat, ut socijs admisceretur amatis,
Comi celsa noui mœnia Cæcilius.
Cumq́; ijs blanda comes demorso Lesbia labro,
Lesbia centenis humida Basiolis.
Lesbia delicijs tam blandi Passeris orba,
Rubra genas fletu Lesbia turgidulas.
Cæsiolis neq; non oculis mellite Iuuenti
Dulcibus exhalans ambrosiam labijs.
Castulus usq; puer, nullaq; libidine turpis;
Qui mereas casti uatis amore coli.
Qui comites, Qui lusus erat, quam pura uoluptas.
O precibus Vatum uita petita pijs.
Ii modo trudebant abiegnis littora palmis,
Moxq́; dabant auræ lintea passa leui.
Sed, ne pigra ullum tereretur in otia tempus,
Exhilarant gratis pectora colloquijs.
Alter ab alterius numeris incensus, amice
Reddebant salsis mutua uerba iocis.
Musarum incipis hic dulcis expromere fœtus;
Hospita quos dederat terra Catulle tibi.
Magnum opus, & nondum uulgata Poemata, tum quæ
Proh dolor, insanis rapta abiere uadis.
Dicite nunc Musæ (nam uos meministis ab æui
Principio omnia, quæ dictaq́;, factaq́; sunt)

Quid Vatem abstulerit nobis, Vatisq; labores;
Nam tanti nondum est cognita causa mali.
Mulcebat lepidus comitum præcordia Vates;
Aemula erant suaui consona fila sono;
Cui Pater ipse loci Velatus harundine crines
Extulit arridens ora benigna lacu;
Quem circum Nymphæ Benacides assultantes
Auscultant resono singula uerba Choro.
Hinc Vigilina procis tot suspirata misellis,
Cui uiridis glaucam cingit Oliua comam.
Illinc fulgenti rutilabat Pyrgia fronte,
Pyrgia cui mollis grata corona salix.
Illa sui tanquam Domici præsaga, canenti
Assurgens uati singula uerba rapit.
Fronde sinum uiridanti lactea Bardoline;
Opplerat, præcox quam sua ficus habet.
Nabat, & uuidulis onerata Lacisia baccis.
Pampineis glaucam nexa comam folijs.
Naidibus Salodina decem comitantibus ibat,
Attollens citrijs tempora cincta suis.
Sirmia sed Nymphas demum supereminet omnes
Fronte, oculis, uultu, uoce, colore, comis.
Myrtus uti redolens florentibus Asia ramis,
Myrtus Hamadriadum roscida rarus honos.
Vere caput cincta hæc, & uersicoloribus ulnis,
In se animos, in se lumina cuncta trahit,
Icthya quam sequitur Mater; quæ prole superba
Intima sub tacitum gaudia pectus alit.

Icthya Benaco tantum dilecta uetustis
Temporibus, quantum Læda uenusta Ioui.
Viderat hanc olim iuuenis Benacus aquantem,
Quum premeret flauum fictilis Vrna caput,
Incaluit uisa, incaluit quoq; Nympha, liquenti
Numine perspecto, dum natat inter aquas.
Itur in amplexus, & mutua Gaudia miscent;
Mincius hinc, nec non Sirmia pulchra sati.
Hæc tamen optauit collem; qui plurimus undis
Prominet, ille solum per loca aperta petit.
Prole Pater lætus, gratum ut pensaret Amorem,
Dona libens rara ditia dote dedit.
Dona greges Anguillarum tot mille, quotannis
Ostia quæ Natus cogeret ante sua.
Hæc igitur celerem semper commitata Fasellum,
Carmina surrectis auribus haurit hians.
Inde aliæ; quas fama uetus iam nocte recondit;
Tempus ut a memori singula mente rapit,
Garde aberat, non illa Choros imitata procaces,
Benaci Garde quæ tamen ardor erat.
Ille canit. Vndæ, & tacitis stant flatibus auræ;
Vsq; adeo Cœlum laudat, & unda melos.
GARDE carmen erat, Dryadum pulcherrima Garde,
Garde nigra oculos, flaua comam, os niuea.
Hanc Deus horrentis prognatam semine Baldi
Arsit, at ardenti copia nulla fuit.
Viderat innuptæ comitem hanc sæpe ire Dianæ,
Venatu fessam uisere sæpe lacum.

Mollia nudatæ tollentem uellera suræ
Dum sua candidulos adluit unda pedes,
Tempora flos bene olens cingebat Amaracus, arcu
Leua habili, iaculo dextra onerata fuit.
Vritur, & cæco Benacus carpitur igni,
At uotum ingenuus tardat obire pudor.
Dum cupit hanc instar hederæ uincire tenacis,
Zonaq́; dum se offert dissoluenda animo.
Sternuit, & resonant supplosa Papauera pugno;
Spem minuunt tremulis lumina mota genis.
Spesq́; ita dum alternat; dum mollis flamma medullas
Vescitur, ambiguo Naufragus in Pelago,
Frigidulos acri singultus ore ciebat;
Est & obauditis dicta querela modis.
Nympha mihi proprijs undis prælata, libenter
Paucula Amatoris uerba morare tui.
O nitidoq́; sinu præstans, roseisq́; papillis,
Oreq́; puniceo, fronteq́; lacteola,
Cur fugis? atq; Dei uerum Dea temnis amorem,
Dum formosa uires Vere puella tuo?
Mollia quid scopulis eduris crura fatigas.
Cur genium fraudas florida Nympha tuum?
Ah satius quanto ualidam exercere iuuentam;
Amplexuq́; frui, dum licet, aßiduo.
Flos rubet en Regum in uarijs hyacinthinus Hortis;
Quem neq; oues norunt, nec tetigere boues.
Dum mulcent auræ, firmat Sol, educat imber;
Quilibet hunc iuuenis, quæq; puella cupit.

Ille, suo fuerit si tempore carptus, odorem
 Virgineis adhibet frontibus, atq; decus;
Verum, ubi præteritus Thyrso deflorwit ipsi,
 Nulli illum iuuenes, nulla puella cupit;
Despectusq; iacet, iam contundendus Aratro,
 Immundo'ue parat stramina fœda gregi.
Quare, dum tenera es, tuus est dum promptus Amator
 Vtere nunc prudens tempore Nympha tuo.
Vt uites gaudent Vlmis, ut uitibus Vlmi;
 Amplexu ipsa meo læta eris, ipse tuo.
Gaudia quanta aderunt, & quàm numerosa uoluptas,
 Nocte per has ripas, antra per ima die.
Benacum Garde, Garden Benacus amabit,
 Incensus flamma uiuet uterq; pari.
Benacoq; liquens fuerit dum uita, feretur
 Benacus Gardes nobilis esse Lacus.
Num tibi ego putri uideor regnare lacunæ?
 Sum ne ego sulfurea tetra Mephitis aqua.
Fluctibus en, libuit quotiens, assurgo marinis;
 Vnda tamen uitreas limpida seruat aquas.
Tu'ne feras, tu'ne antra petas, dumosaq; saxa
 Quæq; puellari sunt minus apta pedi.
Immo & oues nitidas adames, piscesq; nitentes
 Et molli ripam grammine florigeram
Cauta cole uiolamq;, rosamq;, crocumq;, & amomum
 Quæq; puellari sunt magis apta sinu.
Aspice odorato redolentem margine ripam;
 Quam, neq; sicca æstas, ulla nec urit hyems.

Aſpice fœcundo prægnantes pondere truncos,
Quos ſtupeat Phœax cultor, & Heſperius.
Piſce quis Vberior fluuius'ue, lacus'ue, ſinus'ue
Aequoris, Oceanus certet uterq; licet.
En uarij tibi maiores, quæ mille tulerunt,
Committunt imis oua fouenda uadis
Proceriq; Lupi, dentata fauce ſuperbi,
Et carne, & tenui uellere molliculi.
Ecce, quot Anguillæ ſcopulis ſtrigmenta relinquunt;
Vtq; ea uiueſcunt, ſtagnaq; ut ampla replent.
Quid tibi mille canam ſpecies, quid nomina mille;
Et quicquid noſtros nobilitat latices.
Quin tibi fatidicæ Manthus oracula dicam,
Dum rerum illa meas præſcia uiſit aquas.
Salue, inquit, Benace Pater, tibi nuntia ueri
Diuinabo tui gaudia prima lacus.
Naſcetur nitida, ſæclis uoluentibus, unda
Piſcis; fama recens unde parata tibi.
Non ſiculum Murena fretum, non oſtrea tantum
Lucrinum extollunt, Brunduſijq; ſinum.
Non Elope tam clara Rhodos, Rhombo'ue Rauenna;
Quam tua erit partu Nobilis unda nouo.
Dixit; at inuidit nomen, namq; omnia Vati,
Imperijs Diuum uoce aperire Nefas.
Hæc tibi ſit præfata rogo præſagia, Gardes
Ille decor, Gardes ille futurus honos.
Hæc ſibi donari pulcherrima PANNICEA
Ardet, & in medium me petit una lacum.

Pannicea meos quæ tanti fecit amores;
  Vt sit nulli unquam cedere passa deo.
Nam petit ante omnes hanc Pan Deus, illa petentem
  Pana fugit, dulci me rapit illa sinu.
Vim Deus intentat, sed frustra uiribus usus
  Muneribus certat uincere, uictus abit.
Nam seu ruris opes, urbis seu munera ferret,
  Vincebat donis illa superba meis.
Nomen habet quod Pana pudet, quod habere Napeæ
  Optauere omnes, omnibus aucta bonis.
Sed quidnam ista uagis nequidquam credimus auris;
  Si miseris nullus iam locus est precibus?
Nempe Libyssinis in montibus aspra Leæna
  Te genuit. Scyllæ uel fera monstra Canes.
Me fugis heu demum, meq; aspernaris amantem;
  Ergo ab amore graui perditus ecquid agam?
Perditus, assiduis quem luctibus externauit
  Dura Venus, spinis pectora nostra serens.
Eripis heu misero sensus mihi; nil iuuat Vndæ
  Candor, & impendet quæ super umbra lacum.
Acrior haud molles unquam ussit flamma medullas,
  Quid mihi nunc gelidis imperitare uadis?
Magna inquam tenuis demanat flamma snb artus;
  Lumen hebet, torpet lingua, manusq; tremunt.
Atq; auris gemino sonitu pertinnit utrinq;,
  Extremoq; miser deliquio abripior.
His Pater incassum duram persæpe Napæam
  Insequitur dictis, insequiturq; pede

Illa fugit, cursu celeris uestigia Ceruæ
Flammea præuertens, antraq; nota petit.
Atq; ubi tam prono decursu rapta uolauit
Obsita ramorum carcere delituit;
Benacusq; miser, potiundi protinus expes
Ima subit, rapido turbine uersat aquas.
Et memor irarum quotiens incanduit, altis
Eructare uadis stagna refusa furens
Aestuat; Euxinæ tunc æmulus Amphitrite,
Tartara iamq; aperit, iamq; adit astra tumens.
Non illis Cymbam concredat fluctibus ullus;
Non, si uel gemino Castore fretus eat.
TALIA Clarisona memorabat uoce Catullus;
Dum socij, atq; sacer pendet ab ore chorus.
Finierat, Nymphæ applaudunt Benacides omnes,
Ceruleusq; Pater, nec modus ullus adest.
Oscula dumq; parant certatim inferre carinæ,
Illa fluentisonis plausibus icta salit.
Et iactata, latus dextrum, iam deinde sinistrum
Obiectabat aquis. Corde Catullus inops
Apprehenditq; manu spondam, amisitq; libello;
Quos rapido Vortex æquore surripuit.
Dulciloquo, sed enim lux illa nouißima Vati.
Indecori forsan luxerat exitio.
Ni prece Pollucis, ni Castoris implorata,
Littora legisses tuta Fasella celer.
Quid tamen hoc uitasse fuit; si cura, dolorq;,
Hinc male confecti pectora Vatis habet.

Ille, quidem impatiens iacturæ nobilis, ægro
Mœrore exesus Romula tecta petit;
Atq; ibi, dum aßiduo tabescunt lumina fletu,
Primæuo ætatis flore uigentis obit.
Extinctum fleuere humiles, fleuere potentes,
Fleuerunt Charitων, Aonidωνq; Cohors.
Extinctus lepos est, extincta est gloria plectri,
Et gemit Eoum littus, & Hesperium.
Optima sic demum fatis rapiuntur auaris;
Vescuntur larga deteriora die.
Verum age, quæ fuerit rapti Fortuna libelli,
Dic Erato; Ista tui præmia Vatis erunt.
Ne tegat hoc seclis obliuiscentibus ætas;
Hactenus ut nulli nota fuere Patrum.
Deciderat codex liquidas prolapsus in undas,
Deciderat plectri delicium Aonij.
Nais, & hæc atq; illa librum prægestit apisci;
Et lacerant auida scripta uerenda manu.
In uitreosq; bonam thalamos trahit Icthia partem,
Discat ut Ausonio Mincius ore loqui.
Mincius hæc didicit, caro mox promptus alumno
Obtulit, hinc culto claruit ore Maro;
Mantua quo gaudet, ueluti Verona Catullo;
Eloquij quum sit magnus uterq; parens.
Nec Vigilina sui uult non memor esse Poetæ;
Partem habet, & latos implet auara sinus.
Seruet ut hæc doctis præsaga Nepotibus, olim,
Quales frondosa sub Nuce nixa dabit.

Sirmia quam limis oculis prospectat, amatq;,
Scripta cauernoso fornice cuncta premi.
Ah facinus. tam clara igitur monumenta peribunt?
Et feret hoc Erato? pulcher Apollo feret?
An non magna satis rapti iactura Poetæ,
Viuus opes poterat qui reparare nouas.
Ast obijt Vates, celebres periere labores.
Heu ubi nunc risus, heu ubi nunc lepor est?
Scilicet hæc nerunt Parcæ subtegmina; quarum
Facta infecta Deum reddere nemo potest.
At non ipse sui uatis oblitus Apollo,
Non oblita Hecate, nec Venus Idalia.
Nam librum insigni statuunt mutare figura,
Vnde sui Vatis fama perennis eat.
Ecce notæ uerti in fuluum cepere Metallum,
Scriptus ut aureolo carmine uersus erat.
Effulgent nitidæ per stagna rubentia micæ.
Scilicet hi numeri culte Catulle tui.
At membrana simul tepido emollita liquore,
Pisciculos cepit sensim animare nouos
Sic referunt, uituli pertuso tergore bimi.
Informes primum fulgere uermiculos.
Substratoq; thymo exceptos, Casiaq; recenti,
Florentiq; senis gramine Coricij.
Iam nitidis qui mox alis, pedibusq; subortis
Prædatum flores, prataq; odora uolant.
Distentoq; replent fragrantis nectare cellas,
Vnde suos Cecrops cogit, & Hybla fauos

Vtq; Aer putrem in uolucres transformat alutam;
Vnda ita mollita de cute piſcem animat.
Turba hæc, cognatum tanquam ſibi noſceret aurum.
Fertur eo, & proprias carpere cepit opes.
Illicet en ditem piſces populantur arenam,
Non aliam ut captent protinus ore dapem.
Candor adhuc remanet membranæ, ut ut ante nitebat
Aridula doctæ pumice raſa manus.
Puniceusq; color tergo, qui frontibus, & qui
Argenti fuerat cornibus, ille decor.
Fulua caro, fuluum manifeſtius indicat Aurum,
Et ſapor ambroſia gratior, & melior.
Aureus huic lentor, uis aurea, inutilis ægris
Non cibus eſt; aurum noſcere, ut inde queas.
Hic ſatiare nequit; nequeunt ſatiare libelli.
Spinula pungentis monſtrat amœna iocos.
At, ſale quod ueſco longos conditur in uſus,
Victuros pandit tempus in omne ſales.
Gemmeus utq; liber, raris uerſandus amicis,
Arcebat turbæ uulgus inane rudis.
Tu quoq; tantum epulis Regum aſſeruate potentum
Piſcis honorato nomine rarus eris.
Nam quia; quod carpis; nihil eſt pretioſius auro,
Ellogium fiet nominis inde tui.
CARPIO *nomen erit, quod nulla oblitteret ætas,*
Viue, Vale ac Aurum Carpio
carpe tuum.

PROTESILAVS LAODA-MIAE PER. IO. PIERIVM. VALERIANVM.



Vlide dum uento Danai retinente moramur.
Et fera, non grato tempore, ſæuit hyemus.
Optatam accepi mea Laodamia ſalutem,
Dilectaq́; mihi uerba notata manu.
Atq; utinam hæc lingua potius bona uerba tuliſſes,
Aut ego dixiſſem, dulcis Acaſtis aue.
Oſcula tot fixi ceris, quot uoluit arenas
Inſtabili Euripus ſæpe uolutus aqua.
Quod quereris nimium uentos nocuiſſe fauentes;
Qui cita diſceſſus cauſa fuere mei.
Triſtis, & ipſe queror, ſed quid iuuat ora, comasq́;
Scindere, quum fato bella, trahente petam.
Mœſta die, noctuq́; iaces; nec mitis Acaſtus,
Nec Socer Iphiclus, nec iuuat ipſa parens.
Siccine, quam uolui ſemper uidiſſe beatam
Lux mea, tam miſera perdita ſorte doles?
Cur Diadema negas capiti regale? nec oſtrum
Induis, & cura eſt pectere nulla comam?
Squallidulumq; humili cur uelas corpus amictu?
Ieiuno nullum cur capis ore cibum?

Nuncius, Aemonia qui uenit ab urbe, rogatus
Exposuit flenti talia facta mihi.
Me miserum; pro me tot cara doloribus, Vxor
Insolabiliter discruciata gemis
Atq; mori cuperes, miserum me. siste furorem
Ne tua sit binis mors data corporibus.
Scilicet ipse diem potero, Solemq; tueri;
Si tam dilecta coniuge cassus ero.
Non sinus Ambraciæ, non littora Leucados alta
Sint mihi supremæ Deucalionis opes.
Sed feret auxilium quæ prima occurrerit unda
Fixa uel in medio pectore cuspis atrox.
Ergo necis ne uera tuo sis causa Marito;
Cara feram obstineas Laodamia manum.
Namq; grauis animæ pendet sub iudice pœnas;
Insontes letum quæ peperere sibi.
Has fera Tisiphone diris accinta flagellis
Assiduo insultans uerbere sæua ferit.
Noli ergo tantos, noli mea uita dolores
Concipere, ut Stygiæ damna petamus aquæ.
Quære laboranti potius solatia cordi,
Et quo fata trahunt æquo animo ire para.
Vtile quod monui, mihi sed præstare negatum est,
Quod mihi non capio, do tibi consilium.
Ipse ego sum potius monitu sedandus ab isto;
Quem desiderij flamma pererrat edax.
Non ita suppositis tedis adolentur Aristæ;
Ignea ut indomitus corda perurit Amor.

O quotiens studium uenandi finximus aptum:
Vt peterem aerei culmina summa iugi
Scilicet hinc patriæ spectare cacumina terræ;
Ludus, & ardorem diminuisse grauem.
Hinc Nymphæus apex buxo uisendus opaca.
Illinc frondoso uertice Olympus erat
Pelion inde, & Othryx nemorosus, & Ossa uirebant
Quæq; oculos lepide detinuisse queunt.
Dulce relaxandi studium fortaße putabis,
Dulce, sed a nulla parte iuuare potest.
Acrius immo animum torquet, quia cerno negata;
Maior enim in uetita re furor esse solet.
Sed, magis ut doleam, nostri tu causa doloris;
Quod tantis pro me fletibus ora rigas
Ante oculos uolitat semper tua flentis imago;
Nec mihi luce ulla est, nec mihi nocte quies.
Auspicium quid triste times? felicius omen
Pro patria fertur prælia laude geri.
Quid trepidam falsa crucias formidine mentem?
Quod letale putas hostibus omen erit.
Hectora, quem metius, nostro si occurrerit ensi
Sentiet æmoniæ fulmina sæua manus.
Hunc Telamoniades bello sibi tradier optat;
Quem saxo feriat, quem petat ense ferox.
Sed magis inuictus, ueloxq; affectat Achilles
Imbuere hoc hastam sanguine Peliaden
Illi etiam tacitis, insomnia uisa, tenebris
Hectoreo ut cuspis tincta cruore rubet.

Irruet imbellem fortis Menelaus in hostem;
Et petet ingenti de legione Parin.
Ve tibi raptor, opem placidæ implorato Diones.
Marte opus in bello non Venere esse reor.
Inuitis nos bella Deis tentare uereris;
Sunt potius monitu quæ peragenda Deum.
Iuppiter ægæa clamat sublimis ab unda;
Vertite periuri Laomedontis opes.
Multa monent etiam Diuum responsa, futurum
Vt iaceant graia pergama celsa manu.
Rettulit hæc nobis sapiens oracula Calchas;
Calchas diuino numine fatidicus.
Visa etiam horrifici nuper portenta Draconis;
Quæ fati nobis signa fauentis erant.
Namq; sub umbrosa Platano dum sacra paramus;
Qua nitidæ it sacro gurgite Riuus aquæ,
Ecce repentino prorupit in Aera saltu
Serpens ingenti corpore terribilis.
Lumine flammanti, maculoso tergore, cauda
Immensa, implicita mille uoluminibus.
In summamq; ima platanum sublatus ab Ara
(Omina quæ nobis Iuppiter excierat)
Nactus ibi nidum, pullos rapit octo, uolante
Circum filiolos cum genitrice uorat.
Deinde, quis hoc credat? uix nos qui uidimus ipsi
Credimus, in saxum diriguit coluber.
Hæc ubi Testorides conspexit monstra; Pelasgi
Ite ait; Illiacos depopulate Lares.

Sunt ecce auspicijs præsentia numina nostris;
Hoste sub Argolico Dardana tecta cadent.
Vnanimes ergo concordi uoce, minamur
Laomedonteo funera acerba solo
Nec Patriam redijsse piam iurauimus omnes
Ni ruat excidio Troia subacta graui.
Nec mora quumprimum Pelagus sedauerit iras;
Euboicum linquet claßis Achiua solum.
Accipe, ne timeas mihi dira pericula ponti;
Cur modo difficiles incubuere noti.
Incautus ceruam iaculo transfixit Atrides;
Dictynæ fuerat quæ fera grata Deæ
Illa, ultura nefas, uentos exciuit ab ora
Thraicia, & fractis æquora uersat aquis.
Attamen, ut Vates canit, hæc errata piabit
Ex Agamenonio uictima cesa lare.
Est ideo prudens Argos dimissus Vlysses;
Noctiuagæ ut uectet sacra litanda Deæ.
Ocyus ille aderit; placidum iam cernitur æquor;
Et rabidos uenti deposuere sonos.
Ibimus ergo omnes placato Numine læti;
Vltores quo nos Troia fata uocant.
Corruet, atq; potens olim feret Ilion arma
Dorica, seruili terra premenda iugo.
Deinde petet celebri patrios cum laude penates,
Cum prædabunda Graia carina manu.
Tunc me conspicies (mens si mihi conscia recti.
Augurat euentus optima signa boni)

Illustrem factis spolijs Prædonis onustum
  Vectantem Iliades ad tua pensa nurus.
Accipies reducem cupidis amplexa lacertis;
  Multaq; si rapies oscula, multa dabis,
Tunc ego tunc lecto tecum bene iunctus in uno
  Militiæ referam splendida facta meæ.
Præteriti nos tunc fletus meminisse iuuabit.
  Intermissa duplex gaudia pondus habent.
Spero equidem, Troiæ post fata nouissima, felix
  Aemonis Aemonii Coniugis Vxor eris.
Vxor eris felix reliquæ post tempora uitæ,
  Vnanimis mecum sorte fruere bona.
Philacidas placida post hæc in pace regemus
  O Desiderio uita beata meo.
Interea absentem patienter ferto Maritum
  Carior o propria Laodamia Die.
Hac Virtute diu persta o fidissima Coniux;
  Nec luctu, & lacrymis diriguisse uelis.
Sit, rogo, seruandæ penitus tibi cura Salutis.
  Est mihi cura tui, sit tibi
  cura mei.



PIERII VALERIANI BOLZANII.
LEVCIPPVS.

AD BAP. EGNATIVM. VENETVM.





SI iuuet afflictos miserorum fata referre;
In socij detur siqua labore quies,
An magis ulla animum delectent carmina nostrum
Ponere Leucippi quàm mala fata boni?
Primus ego has latio succendam lumine flammas
Clade fatigatus compare primus ego;
Ille meos siquidem Egnati præfinxit amores,
Exemplar morum, uitæ, animiq; mei.
Is coluit Daphnen, mihi Daphnia culta; furores
Occulit ille suos, occulo & ipse meos.
Ardua Daphniolæ res est amor, ardua Daphnes;
Vota pudica illi, uota pudica mihi.
Saucius is cecidit, semel attamen; acrius heu heu
Sæpe ego conficior, morsq; petita fugit.
Verum agite o Manes placida Ladonis ab unda
Audite hic Vatem funera uestra queri.

Siqua tamen Leucippe tui pars restat Amoris;
Quæ mea sit miseri cernere fata capax.
Accipe me comitem, nostroq; leuabere casu;
Et tua sors demum fiet acerba minus.

ARGVMENTVM EX PAVSANIA.

LEVCIPPVS Oenomai Pisæ Regis filius Daphnem amat. expes potiundi puellarem induit ornatum adsciscitur a Daphne Comes; gratiam in dies apud eam indipiscitur, Riualis inuidet Phœbus, efficitq; ut Daphne uenatione, & Sole fatigata, una cum Nympharum cætu, se in Ladonem fluuium merset. Tergiuersatur Leucippus, a Nymphis exuitur. Mas cognitus, iaculis conficitur.

IAm satis innuptæ uulgata est fama puellæ,
Cui Lycius tanto fauit honore Deus.
Inter Hamadriadas fuit hæc formosior omnes.
Durior æque omnis inter Hamadriadas.
Hanc uidet Oenomao natus Leucippus Achæo;
Vt uidet, ut capitur, captus ut inde furit.
Illa mares omnis fugit auersata, negatq;
Nubere; siue Viro sit data, siue Deo.
Attamen hanc Leucippus amat, speratq; potiri;
Vsq; adeo in propria re sibi quisq;, fauet,
Sed nihil ad uotum demum uidet. esse ne coniux,
Mortalis cupiet, quæ negat esse Dei?

Quid faciat puer infelix? qua'ue arte cupitos
Speret in amplexus Virginis ire suæ?
Scitus amor promptis hominem domitare sagitis
Nouit; & exprompta uulnera curat ope.
Et quibus is rerum domitor dominatur eisdem
Consilium prudens suggerit, atq; animum,
Hoc mostrante igitur patrio nutrire capillos
Incipit Alpheo, nectereq́; arte comam.
Iamq́; dies, alterq́; dies, iamq́; alter & alter
Mensis in hoc studium, totus & Annus abit.
Flaua erat, & studijs circum muliebribus aures
Pressa, per inflexus ibat ad usq; pedes.
Adijcit ornatum, qualem Spartana gerebat
Venatrix, Pholoes lustra per alta sacræ
Iam Coos maculosa sinus Lynx cingit ab armis;
Leuia purpureus crura Cothurnus habet.
Iamq́; habilis pharetra ex humero dependet, & arcus:
Annectit geminos copula bina canes.
Iam iuga Thaygeti Daphne transgressa, pauentis
Dum sequitur Ceruos, impauidosq́; Sues
Innumeris Velox aderat comitata Napeis;
Vixq́; premens posito gramina summa pede.
Vt uidet hanc puer Oebalius sibi conscius artis,
Horret, & egelido corda pauore tremunt.
Et stupet, & pudibundus abit. nec credere se se
Audet, & interdum uimq́; animumq́; capit.
Ingenuæ interdum flammæ pudor obstat alumnus;
Demum abit indomito uictus amore pudor.

Hanc

Hanc igitur fidens petit, audacterq; locutus
Dilectam tali uoce moratur Heram.
Dic Dea, siue loci Nympha es, siue inclyta proles
Es Iouis, ex ipso nosceris ore Dea.
Qua pater Oenomaus rapidos direxerit axes;
Qua Soror acta citis Hippodamia rotis.
Namq; ego dum Aeripedem solerti indagine ceruam
Persequor, his erro sola relicta iugis.
Nympha huic. Pathenium lustraui, & Mœnala, nusquam
Sunt mihi mortalis signa notata pedis.
Tu uero, ne sola die errabunda cadente
(Sol Tartesiacas pronus adibat aquas)
Tristis eas, mecum potes expectare parentem;
Ni ueniat, siluis tuta latere meis.
Dissimulat se uelle puer, similisq; timenti
Singula prospectat lumine lustra uago.
Naiadum Chorus omnis adest, & Hamadrias omnis
Euge ait. hic potius cara puella mane.
Vincitur obsequio iuuenis, fallitq; uidentes;
Arcada quin illo falleret ore Deum.
Ecce Aper interea silua furibundus ab alta
Prodit, & Eurotæ flumina nota petit.
Clamorem attollunt Nymphæ. Sociæ ocyus eia
Daphne ait, in magnam figite tela feram.
Quæq; locum ante notat; quæq; este iaculata; sed una=
=quæque illesa ferit terga ruentis Apri.
Altera mox dextris librant (nam bina gerebant)
Ipsa quoq; illesa tela repulsa cute.

Sed Leucippus humi iaculum defixus utrunq;
Stabat adhuc, ueritus se sociare Deis.
Respicit hunc Daphne; cessasq; (ait) œbalis una
Cessas, funde alacri mißile utrunq; manu.
Ille uerecundo tota oblitus ora rubore;
Mortalem socium non decet esse Dei,
Dixit, & ista tuæ potius sunt debita dextræ
Tela, libensq; Deæ porgit utrunq; simul.
Quin age, respondit Daphne, amentabimus una
Ipsa unum, ac unum dextera nostra ferat.
IAMQ. Aper ille canum magnis latratibus actus
Verterat ad Nymphas spumea rostra ferox.
Intorquet Virgo, simul & Leucippus habenam;
Signat uterq; simul, uibrat uterq; simul;
Lumen uterq; simul dextrum deprehendit, & unum
Ipso eodemq; loco uulnus uterq; facit.
Exoritur plausus Nympharum; fulmineus Sus
Cernuus immani corpore pulsat humum.
Se rotat in gyrum, surgitq;, caditq; uicißim,
Labsantem rident undiq; Hamadriades.
Saxum habile hic manui prehensat Piseus, in hostem
Id iacit (audentem fecerat alma Venus)
Saxum oculos inter uiolento turbine frontem
Vulnerat: in clunes concidit ictus Aper.
Et mox quantus erat pedibus metitur harenam,
Approperante tremunt Ilia larga nece.
Tunc Daphne complexa uirum Tenera oscula libat
Suntq;, ait ista tui gymnica facta Iouis.

O tibi si post hac placeant commercia nostra;
Perpetuo mecum uiuere Virgo uelis.
Cui puer, hoc quando tu me dignaris honore,
Nostra erit arbitrio subdita cura tuo.
Accipit hunc Daphne; Nymphæ gratantur; & omnes
Ignoto libant oscula casta Viro.
Nunc tibi, nunc demum felix Leucippe uideris;
Heu quanto hæc stabunt oscula cara tibi.
Tu comes is Daphnæ, tu solus Amabilis illi;
Curarum Daphnes conscius unus eras;
Illa tuo connissa manum blandißima collo,
Pendula de cubito stringere uela dabat.
Colligere illa sinus aliqua de parte fluentis
Te cupit. & iuncis nectere sæpe comam
Singula promptus agis doctore cupidine; donat
Solus hic ingenium, solus hic eloquium.
At gremio quum sæpe tuo defessa quiescit:
Quum tua sudorem siccat ab ore manus.
Quid tibi tunc animi miser heu Leucippe, potito,
Frustra, quo nunquam detur amore frui.
Te cruciat q̃ tanta licent tibi, scilicet illam,
Tangere; at, ut uelles tangere, non liceat.
Quæ tibi bella mouent, hinc forma uenusta, sed inde
Exempla indomitæ nota pudicitiæ.
Sminthea cum se odisse refert, & nolle Maritum
Certa ita perpetua Virginitate frui.
Copia multa tibi, sed nulla est copia, tantum
Præualet in uero semper amore pudor.

Quin, nisi casta sit hæc, leuius Leucippus amaret;
Leucippus siquidem uerus Amator erat.
Iam nil turpt cupit, iam sola modestia cordi est;
Iam satis est Dominæ uiuere more suæ.
Promptior hinc factus per honesta negotia Daphnæ
Carus erat, Nymphis carus Oreadibus.
Illum Naiades, illum spectare Napeæ
Gaudebant, Daphne diligit una magis.
Seu tacitis ignem stimulis Natura ciebat;
Seu decor ingenuæ frontis amandus erat.
Sic & eras felix, & eras Leucippe beatus;
Sic tua supremo sors erat æqua Ioui.
Nemo sed humanus diuturno tempore felix.
Iugis amaricies gaudia curta rapit.
Cynthius hoc uidit, quid enim non cerneret ille;
Qui præbet terris lumina, quiq; Polis.
Inuidia exarsit Iuuenis felicis iniquus,
Ergo marem Daphnæ prodere cura subit.
Aestus erat, medioq; altum Sol orbe Leonem
Presserat, atq; omnis campus hiulcus erat.
Quærebant Satyri, quærebant flumina Nymphæ,
Hæ secreta, illi flumina aperta natant.
Panicolæ nil densa iuuant Pineta Lycei;
Nullaq; siluosas occupat umbra uias.
Aßiduo Daphne Venatu lassa, puellas
Traxerat hac, cesæ gloria tanta feræ.
Inijcit huic animo Phœbus Ladonis in amnem
Se gelidum, ac socias mergere Hamadriadas.

Nec mora. Cliuus erat Zephyris genialibus aptus;
  Murmure quem placido lancinat unda frequens
Occupat inde sinum prælargo gurgite tutum;
  Adridet uitrea calculus omnis aqua.
Hæc circum pictæ uolitant uada læta Volucres;
  Argutoq́; melos gutture dulce canunt.
Hic reliquas posito Daphne uelamine Nymphas
  Suadet harenoso tinguere membra lacu.
Gratum opus accelerant omnes, saltuq́; procaci
  Desiliunt, palmis stagna repulsa sonant.
Tunc puer erubuit: quiq; omnia primus obibat,
  Nunc mora postremum segnis, inersq́; tenet.
Atq; pedes sat habet summas immergere in undas,
  Vt reliquum in uiridi cespite, ueste tegat.
Eleis, quid agis? Daphne proclamat; in altas
  Merge, leuamen erunt suaue laboris, aquas.
Ille nihil. Primum Nymphæ mirantur; & inde
  Exiliunt magni suspitione doli;
Viq́; reluctantem expoliant, laceratur amictus;
  Ille uerecundo pectore adhæret humi.
Vt tamen agnouere marem. Chorus omnis in iram
  Canduit; & Triuiæ numina magna uocant.
Arripit ille fugam. fugientem tela sequuntur
  Mille, nec immites abstinet ulla manus.
Is, fer opem Daphne, fer opem clamat bona Daphne;
  Sed Daphne, & Nymphæ uulnera, & arma ferunt.
Prima caput leuibus petit Orithya sagittis
  Sæua habilem in dorsum torquet Iera sudem

Nemertes inupta femur, femur haurit Agaue,
Deiopea humeros. Ilia Paßithoe.
Annicula Drimo quercu montana lacertos:
Fraxineo suram Vimine Phylodoce.
Sic tamen ille fugit, sed ineuitabile fatum
Non fugit heu, siquidem pensa resecta uetant.
Nam Lachesin supplex filum exorarat Apollo
Rumperet, argutæ sic potuere Lyræ;
Quin etiam nubem fugienti obiecit opacam,
Præstrinxitq; iubis lumina flamiuomis;
Quo puer attonitus fulgore, & nube, locorum
Immemor, assuetam nescit obire uiam.
Sed modo tuta petit, medios modo fertur in hostes;
Quos nusquam, nisi cum saucius, esse uidet.
Ergo magis uocem attollens, Daphnen uocat unam,
Vnicam amat Daphnen cernere, & oppetere.
At, specula incendens animos clamabat ab alta
Latois; pereant turba odiosa Mares.
Hortatu Dominæ cedem omnis Oreas atrocem
Instaurat; puerum sternere certus honos.
Ergo corinthiacis Ephyre spectabilis hamis
Collimat collum, pectora Dynamene.
Eupompa, Nesso, Pronoe, Galatea, Themisto
Indefesa iterant spicula crebra manu.
Demum Arethusa tuis traiecto poplite telis
Concidit; insultat cede cruenta cohors.
Vidi ita pertusam uiolenta grandine caltham
Languere, & flores Cyprogenia tuos.

Et tamen expirans Daphnen optabat amatam,
Frigidulo Daphne ſemper in ore fuit.
Occiderat iam tot iaculorum mergite preſſus;
Quot furibunda Hiſtris Tergore tela gerit.
Daphne igitur ueniens, ubi functum cominus hoſtem
Vidit adhuc toruo lumine compos abit;
Fata ita, ſic pereat, ſacrum quicunq; pudorem,
Virgineumq; auſit conſcelerare decus.
Sic miſerandus obit Iuuenis, dum fidus amanti
Seruit, ita infidam uidit amoris opem.
Nulli illum Superi non ingemuere iacentem;
Illum omnes flerunt pectora dura feræ.
Quin nitidos tetra fuccauit nube iugales
Cynthius ipſe, pudor, ſeu fuit ille dolor.
Crudeles Nymphæ, Daphne crudelior, illum
Ipſa petis iaculis improba Nympha tuis.
Tu comitem exanimare tuum, carumq; ſodalem,
Paſſa, cruore manus tu maculare pio.
Nonne tibi; immenſo quamuis ardeſceret æſtu
Sincera frater mente pudicus erat.
Expers Nequitiæ, fœdæq; libidinis expers
Gaudebat caſto caſtus amore frui.
Illius in gremio totiens quum ſola cubares,
Dormirentq; homines, Cælicolæq; Dei.
Tentauit ne unquam uerbis facto'ue pudorem
Soluere, uel teneros ſollicitare ſinus?
Indignata licet ſis, ipſa fatebere, nunquam;
Vita ſed huic dices irreprehenſa fuit.

Non impune igitur Daphne uiolaris amicum.
Est & Amicitiæ maxima cura Ioui.
Et Venns alma tibi pœnas irata parauit;
Truncus eris dura rusticitate rudis.
Illicet, ut merita es, sacra cedere securi
Apta Veneficijs Stirps odiosa malis.
SIC illa Egnati meritis obnoxia flammis
Supplicium, ramo triste crepante, dabit.
At non Leucippus, Veneris pia cura benignæ,
Incuset miseræ fata beata necis.
Nam Venus hunc memori parat insignire figura;
Quæ Casti indicium semper Amoris erit.
Illa & enim diræ cedis perculsa dolore,
Qualis ad extincti funus Adonis erat,
Imperat Idalio natum de uertice succos
Promere, Amaracini fundere roris opem.
Quo postquam imbutum Leucippi corpus, & ipso
Nectare delicuit, uisq; adaperta Soli.
Transit in ambrosij radicem pectus odoris,
Molleq; adhuc fodiunt spicula multa latus.
Tum Venus inuertit Iaculum Peneidos actum
Viscera per, medium cordis adusq; locum,
In tenuemq; iubet calamum grandescere; nodis
Omnibus ad culmum uela resecta ligat.
Tenia discerptis folijs accresæit utrinq;.
Fistula subrutilo tincta cruore uiret.
Sanguis at ille, hamum circum qui sparsus aduncum.
Non iam mortalis sanguis; at ætherius.

Qualis Acidalio de uulnere fluxerat Ichor,
Quum petijt diam dextra profana manum.
Spumeus exiguos absoluit mille corymbos;
Ambrosio qui auras, prataq; odore beant;
Vertice qui se se exsinuant per gramina celso
Candiduli; sed quos purpura rara notat;
Concolor hinc partim lacti, partimq; cruori.
Flos nitet, hinc Cypriæ spirat odor Veneris.
Quæ simulac rerum genetrix Citherea peregit
Gramina perflauit sidere læta suo.
Edixitq;, boni genitalis ut aura Fauonij
Lecta hinc in terras semina larga ferat;
Ne placidi tantum Ladonis ripa; sed olim
Testetur facinus quælibet unda nouum.
Sic quotiens glacialis hyems dissoluitur; atq;
Vere nouo auratis cornibus astra micant,
Irrigua exultant castæ per prata Napeæ
Surgere Pisεæ gramina odora domus.
Quin ægris misere languentibus obuia, præsens
Auxilium prestant, pressaq; membra leuant.
Hæc ut Amantilla est nobis, Anthilla Napæis
Fertur, & agrestis Nardus odore potens.
FVM Veteres dixere, operosa ubi cognita uirtus,
Ex re nomen habet, quod VALET in tot opes.
ATQ. Vtinam non tunc positis Caducifer alis
Luriduli audisset uerba odiosa Senis,
Non fueras compos Daphne, & gauderet amatum
Leucippum e manibus surripuisse tuis.

Verum Auus huic dum iussa modis repetita molestis
Imperat, inuisæ datq; alimenta moræ.
Dum pubem castam esse iubet, castasq; puellas;
Inculcatq;. decus Virginitatis ament;
Præterijt dudum hora fugax, ne scilicet istis
Leucippi uindex posset adesse malis.
Attamen Ingenuo pueri succensus amore,
Sensit ut hoc, penna præpete uectus adest.
Vixq; pedes, ubi gramen erat, firmauerat acres;
Inscius atq; nouam uellere amabat humum
Vt succum tetigere manus, talaria, & omnis
Penna, pedes, humeri diriguere leues.
Statq; ut dura silex immobilis, utq; reuinctus
Aere pedem, ære manum, tantus in ore rigor.
Non oculos, non ora ualet, non flectere linguam.
Corq; gelu, & sanguis frigore duruerant.
Quod simul ut uidit Paphie miserata rigorem
Fratris ab excelso uertice lapsa Gnidi.
Amplexata Deum flammam inspirauit, & ignem;
Qui blando uicit triste calore gelu.
Reddita Mercurio pennæ uis, reddita linguæ
Redditus ipse sibi, rem celebrem esse iubet.
Rem Parcæ æternis iussæ insculpsere metallis,
Dignam ut scire Dei, scire hominesq; uelint.
Adfuit his Mauors, puerum miseratus & ipse,
Delicias Veneris, progeniemq; Iouis.
Nec dum animo exciderat Phœbæa iniuria retis;
Indicio cuius præda pudenda fuit.

Et secum. Hem Daphne pœna multata merenti,
Accipiet pœnæ munera honora suæ.
Scilicet hæc magnis ibit prælata triumphis,
Vatibus hæc sacris, militibusq; meis.
Non ego Leucippo faueam? si iungere amores
Non possum, iungam, par faciamq; decus.
Tempus erit, quum bella manu iam nulla gerentur;
Præstantisq; animi gloria inanis erit.
Marmoreæ siquidem, æsq; cauum, cum sulfure, massæ
Omnia tentabunt, omnia conficient.
Tum, nisi Pisei Virtus noua Graminis adsit,
In reprobum cedant æra liquata Typum.
Dixit & intonuit læuo Pater almus Olympo,
Et motare sacrum gramina uisa caput.
Nulli inde artifices trepidum infudere metallum,
Hæc nisi adorato cespite sacra ferant.
HAEC etiam, Conis nostrorum imposta parentum,
Indiderat, genti nomina clara meæ.
Scilicet Ellogium meritæ cum laude coronæ,
Obsidio ciues quum soluere bonos,
Propter aquas gramen liquidas hoc forte uirebat,
Hoc legere, coma est hoc redimita Ducis.
Hoc memores Patrum gaudent gestare Nepotes,
Nobilium hoc nobis dat monumenta uirum
Ancon testis erit, testis generosa Rauenna,
Testis Roma, meæ fons, & origo domus;
Quis nostrum ante omnes uictrici classe Parentum
Signa per Adriacas Gottica fudit aquas.

Vtq; per Italiam misera obsidione grauatam,
Auxilium extremis rebus opemq; tulit.
Quid referam, Vrbano fuerit quam accepta Secundo
Cana fides Generis, fidaq; cura mei.
Cuius ab interitu Gens ipsa extorris ab Vrbe
HENRICI freta est Cæsaris hospitio.
Te ne ego tam ingratus sileam ueneranda Mathildi
Cuius honorata est nostra fauore domus.
Prætereo prudens fasces, titulosq; meorum,
Gestaq; felici Norica bella manu.
BVLsanumq; datum meritis, Belluniaq; arua
Pleraq;, tum Iuli prædia lata fori.
At modo decidimus, bellorum casibus acti.
Vt uariat cunctas Sors malefida uices.
Sic putruere situ Leucippia gramina longo,
Nunc Vtinam auspicijs sint rediuiua meis.
Non ut bella geram, sed chartis gesta reponam;
Phœbe tuas Citharas, non tua tela sequar.
Pro patria nostri, carisq; penatibus olim,
Pro ducibusq; suis arma tulere patres
Sors bona dum fauit, ducibus dum grata suorum
Magnanimis Virtus, cultaq; honore fuit.
Arma ego Mauorti cesi, Phœbumq; secutus
Leucippumq; meum, prataq; uerna colo.
Phœbus enim postquam uelatam cortice Daphnen
Atq; utriusq; datum est nosse pudicitiam;
Inuentus nulli fauisse benignius unquam;
Quam Lauro, & Pisæ floribus, & folijs.

Hinc ego sum genitus, uetus hoc de gramine nomen,
  Sinceroq; eadem sors in amore mihi est.
Sanctus Amor meus est, meus est Amor ardor honesti,
  Verum æui hoc nulli iam licet esse Probo;
At sublapsa licet retro mea facta ferantur,
  Seruitij & pereat gratia tota mei.
Non aberit Venus; ingenuæ quæ conscia flammæ
  Felici afflabit sidere ab exequijs,
Reliquas meas, neglectaq; membra resumet;
  Quæ sparget lacrymis ipse Cupido suis.
Et Salicem subdens Amerinam, & candida uirgæ.
  Lilia Nympheæ, non sinet esse putrem.
Quum sim totus Amor, de gramine natus Amoris,
  Flos nouus, & puri gramen Amoris ero.



Siquis nouum putabit toto hoc opusculo. Iuuenalem adiectiuum per. a. scriptum. Iritatum per unicum. R. ab Ira. s. Exsinuare & talia cum. x. &. S. Coniux una minus littera q̃ uulgus faciat. Tremescit per. E. Auctor per. ct. Virgilius p. I. Littera, duplici. tt. ut manu ipsius Pierij scriptum paßim obseruauimus; putamus id neq; temere, neq; imperite ab eo factum; Cum Is in Virgilianis castigationibus & horum, & aliorum aliquot huiusmodi rationem reddiderit; Quamq; temere multa temporibus nostris sint innouata commostret.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O.

QVATERNI OMNES.

VENETIIS APVD GABRIELEM GIOLITTVM DE FERRARIIS

MDXLIX.






SEMPER
EADEM
GG
F